

DE MORBO:

Sinni wil (blaue Blatter)
NOMINATO, CARBUNCULO
QUODAM ESTHONIAE RU-
STICIS ENDEMIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO

H. L. Q. C.

DIE XII. MENS. OCTOBRIS MDCCCXXI,

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ABRAHAMUS HUNNIUS,

REVALENSIS.

DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI
MDCCCXXI. #




Imprimatur,

ea quidem conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-
rum mandata est, tradantur.

Dorpati die 9. Sept. MDCCCXXI.

Dr. Chr. Fried. Deutsch,
h. t. Decanus.



1 3080436x

VIRO EXPERIENTISSIMO

FERDINANDO JENCKEN

DOCTORI MEDICINAE

PRAECEPTORI CARISSIMO ATQUE
AMICO DOCTISSIMO

PRO BENEFICIIS INNUMERIS IN SE
COLLATIS

HASCE PRIMITIAS

AMORIS ET AMICITIAE DOCUMENTUM

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

I n t r o i t u s .

*Omnia vertuntur cum tempore, tempus et ipsum
Reciprocatis vicibus aeternum fluit.*

J. BARCL.

*Morbi, a causis in terra et aëre sitis, earum-
que varia vi, seu mediate seu immédiate ori-
ginem ducentes, permutatis his nullo modo in-
tacti manebunt, sed effectum ejusmodi muta-
tionum in vita sua omnino sentient; unde con-
gruens quaedam inter has et illos ratio phaeno-
menorum quoad tempus successionemque nasca-
tur, necesse est. Haecce vero mutatio non pro
brevis temporis spatio facta, continuo potius re-
iteratur et sempiterna est, ideoque veluti unica
res perennis constat inter rerum mundi visibi-*

lis inconstantiam, quâ optime manifestatur vita illa nunquam non actuosa, totoque Universo attributa. Quapropter, illis morborum causis in perpetua metamorphosi versantibus, eadem vis mutans ad naturas ipsas, in quibus morbi gignuntur, valebit. Hac autem ratione modo semine (morbi causa), modo gremio (morbi praedispositio) ubi fovetur, modo autem, quod plerumque fit, commutatis ambobus, mutationes quasdam in producto etiam i. e. in morbo ipso apparere, pro certo habendum est. — Nam sicuti cum terrae progrediente vita, id etiam, quod ad illam pertinet, hujus se mutantis vitae particeps fit, ita omnia, quae morbosa vel in terrae — ut ita dicam — gremio, vel ab ipsa producente nascuntur, mutatis conditiq- nibus, formam quoque mutabunt. Has vero transformationes, etiamsi, quum saepius subtilissimae sint nec omni tempore sub sensu cadant, saepius fortasse tum demum, quum novam periodum plane percurrerint, ubi differentia inter statum praesentem et priorem nobis comparisonem cognobilem offerat, intelligantur, tamen et adesse et semper fieri negare nequimus. Quo etiam sequitur, ut ad definitam et sufficientem causam rerum, ita inter se conjunctarum explicandam, non semper firmi

simus; raro enim hominis sensus et ingenium tantam in altitudinem, ut connexum primum rerum perspicere valeat, adscendit. —

Quum igitur, his perpensis, ad morbum, quo in describendo curam et industriam collocaturi sumus, nos convertimus, quaestiones proponentes: — „quomodo priori tempore morbus iste apparuerit, ac quasnam subierit mutationes?“ — apodicticum quidem responsum, fontibus historicis fere deficientibus, minime dare possumus; rationi tamen, hoc vel alio modo varia verisimiliaque concludendi, libertas restabit.

*Veteres chronographi nostri, *) Esthoniã terram fere incultam nominant, multis instructam paludibus et sylvis magnis altisque, bestiarum multarum sedibus (ut sunt ursi, alces, vulpes, lynces, martes, lepores, sobellae, sciuri, mustelae, ermineae etc.) (A. W. Supel's topographische Nachrichten von Lief- und Ehstland. Riga, 1774, Bd. 1. S. 93.), quarum aliae adhuc*

*) Sebastian Muster, Kosmographie. 3tes Buch. Pag. MCXIII. Cap. CCCLXXX.

Gr. v. Fischbach, Extract einer dñstnischen Chronik. 1670.

Ch. Keth, Liefländische Historie. 1695. et multi alii.

VIII

saepissime illic inveniuntur, aliae eaeque plurimae, in longinquas regiones septentrionales jam diu depulsae sunt. Sed quis est, qui terrae nostrae gnarus, hanc longe alio ac priori tempore, statu, multis in rebus uti neget?

Sylvae enim jam diminutae (Hupel a. D. S. 93. C. E. Baer. Dissert. inaug. Dorpat 1814. Pag. 12 et 22), adhuc quotannis maxime colucantur, eo exsiccandis aquis stagnantibus favent; lacus et paludes evanescent ac minores fiunt (Hupel, Top. Bd. 1. S. 398. J. B. Fischer, Versuch einer Naturgeschichte von Livland. Königsberg 1701. S. 20. Baer l. c. p. 14 et 28.), agri extensiores evadunt, et major jam terrarum pars culturae reddita est; quae omnes mutationes nullius fuisse momenti in clima, nemo sane contendet. Quodque etiam revera contigit, ita ut Hupel (Top. Bd. 1. S. 93.) rectissime „aërem nostrum manifesto saniozem factum esse“ memoret. (Baer l. c. Pag. 22.) Quamquam vero non omnis ac tota Esthonia easdem mutationes subierit, hoc tamen ejus majorem in partem cadit, quum altera quidem passim minus variata sit.

Illas autem soli ideoque coeli mutationes, cum ad constitutionem populi (morbi praedispositio) et ad gignendas potentias morbosas

(morbi causa) multum valere, tum ad morbum singularem his pagellis tractandum, qui conditionibus illis essentialiter conjunctus est, maximam vim habuisse, censemus, quod ex observatione, a rusticis ipsis facta, locis scilicet, ubi paludum numerus vel diminuitur, vel plane tollitur, morbi nostri crebritatem et extensionem, pari modo referri, patet. Unde responsum ad supra positas quaestiones, licet in summa tantum, sequitur: morbum nostrum antiquis temporibus magis extensum i. e. in pluribus Esthoniae regionibus occurrentem, perniciosiorem exitu, — quare de membris mutilatis ulceribusque malignis (P. G. Wilde, Liefländische Abhandlungen von der Arzneiwissenschaft. Schloß Ober-Pahlen 1770.), tum magis quam hodie sermo erat; — maligniorem etiam, — quod clades illa, quam Hupelio (Top. Bd. 1. S. 565.) referente, ante pestem importavit, probat; — crebriorem (Hupel S. 565.) denique fuisse. Hoc autem modo responsio quoque ad alteram quaestionis partem, si morbi statum priorem cum hodierno comparaveris, obvia tibi ducetur. — Cognitio accuratior, quae vera ac sufficiens sit causa mutationum illarum, in quas morbus noster transierit, ex capitibus sequentibus (§. 8 et 11.) elucebit, quo certo nobis sperandum esse vide-

bimus, fore, ut morbus iste e terra nostra, si magis magisque indies adcreverit soli cultura, omnino aliquando recedat. In sequentem etiam dissertationis seriem eum, qui de morbi nostri aetate, quae illic omnibus rebus diligentius perpensis, ad remotiorem usque terminum reduceretur, quaerat, ablegatum esse, volumus.

SECTIO PRIMA.

§. 1. Nomine *Wil*, *Willi többi*, *Wessi wil*, *Sinni wil*, carbunculorum species inter rusticos Esthonicos *) occurrit. Quae tamen non ubique in Esthonia invenitur, quum totae sint regiones, quibus ne verbo quidem nota sit **), aliae vero, ubi semel quidem animadversa, tum autem non amplius visa est, aliae etiam, ubi plane endemice grassatur, nec facile quin vicos, quorum tamen in unum solum vel paucos, in his vero in plures aut singulos homines dispersos, contrahitur, obeat, unum annum omittat. Hujus inpri-

*) Hupel refert: „et germanos ei interdum obnoxios fuisse.“ Et nobis exempla singula constant rei; atameu vero ad exceptiones rarissimas pertinent. Lettones quoque et Russos (v. c. qui in circulo Dorpatensi pagum habitant, *черная деревня* nominatum) vitam inter indigenas, victus rationem ac negotia eadem gerentes, — morbo laboravisse, — nobis cognitum est.

**) Sic v. c. Esthoni insulas colentes vicinas (*Dagden*, *Oesel*, *Moon* etc.) omnino morbum ignoscunt, etc.

mis respectu circulus Revalensis, Jervicus *), Pernovianus et Dorpatensis, et praesertim illa ejusdem pars, quae ad septentrionem versus, lacu Peipus finitur, nec regio prope arcem Ober-Pahlen, notatu digni sunt. Quarum regionum, alia aliis locis magis a morbo vexari, nemini, mirandum videbitur. Si igitur, quaenam sit physica conditio hisce regionibus, ubi morbus prae ceteris sedem collocaverit, quaeras, plerumque humiles, multis et paludibus, defluxu carentibus, et lacubus instructas ideoque humidas et passim magnis densisque sylvis repletas esse, haud infitias ire possumus. Attamen, ut in multis aliis rebus, ita et hac ratione, morbus noster varietatem suppeditat, quum interdum etiam in altis, aridis et arenosis regionibus inveniatur, quod tamen pro regulae ante positae exceptione, semper habendum est. — Nulli quidem anni tempori adstrictus est, sed aliud alio magis ei favere videtur, qua in re nihilominus regiones singulae differentiam afferunt. Cum enim regulâ convenit, aliis regionibus post

*) Jerven — esthonicè Järva ma — terram lacubus abundantem significat (Hupel Bd. 1. S. 38.); praeter lacuum multitudinem circulus hic paludes magnas continet. (Hupel ibidem, Baer p. 28.)

aestatem calidam, exeunte Julio et Augusto in-
eunte, vel jam aestate incipiente, Junio mense
(praesertim paullo ante longissimam diem), aliis
vere potissimum vel auctumno humido frigido-
que occurrere. Hiems aspera *) maxime con-
traria ei apparet, etiamsi nonnunquam inter 10
ad 20° — scalae Reaumurianae, locum habuisse,
dicatur (C. H. Rinne, Dissert. inang. Dorpati
1809.). Quum semel erupit, non raro paene
epidemicè grassatur, vel saltem plures simul ad-
greditur homines, paullatim posthac et inten-
sione et extensione diminutus, mox sporadice
tantum, per totum annum **) trahitur. Unde no-
tatio illa, hunc morbum in certis regionibus,
omni anni tempore occurrere, vera et perspicua
reddita est. Qua ex re animadversionem quo-
que, eum modo tempore aestatis calido, modo
frigida et humida auctumni tempestate in una
eademque regione, viguisse, rectam esse, elu-
cet; quae ut videtur contradictio, simulac cau-

*) Utrum vero hoc in tempore et aestate aestuosa, per-
niciosior sit ac aliis anni temporibus, quod a morbo af-
finitate quodam (Enaux et Chaussier de la pustule maligne) va-
lere dicunt, observationes nondum sat demonstraverunt.

**) Idem de morbo affini quodam (Morawaja - Jas-
wa, — Neue nordische Beiträge Bd. 1. St. Petersburg u.
Leipzig 1781.) confirmatur.

sarum externarum diversitas, a sola fere regionum natura dependens, infra (§. 11.) etiam illustrabitur. — Morbo illi, in hominibus cujuscumque aetatis et utriusque sexus, saepius tamen in fortioribus et ad labores strenuis occurrenti, rarius infantes senesque exarefacti expositi sunt, lactantes nunquam vero (Rinne p. 10.); saepius in universum viri quam feminae eaeque rarissime, quae rebus familiaribus curam gerunt, ab illo corripuntur; crebrius inter pauperes quam apud ditiores atque dominorum in aula servientes, conspicitur, quibus tamen iis regionibus, ubi potissimum viget, non omni tempore abstinet.

§. 2. *Morbi forma externa et species.*
 Rusticus Esthonicus, animi culturae et linguae mancae respectu habito, humiliorem adhuc locum tenens, omnem fere in cutis superficie paululum elatam pseudoproductionem, qua furunculos, nodos, papulas, variolas aliasque hujusmodi excrescentias refert, communi nomine „Wil“ comprehendere solet. Unde, quum igitur plures ejus generis mutationes cutis ad nostrum morbum pertinere censeat, fieri possit, ut multi errores et vitia, hanc in rem irreperant, si ad id solum, quod rusticus de morbo judicat, respiceres. Locis quidem nonnullis idque non-

nullis tantum, inter „Wessi mil“ et „Sinni mil“ discrimen agnoscit; altero vocabulo eam formam nostri morbi significans, quae vesiculae, altero eam, quae maculae speciem ostendit. Haec tamen distinctio, duas formas diversas principales, recte minimeque inepte discernens, nec ubique nota est, nec species singulares omnes dignoscit. Usitatum vero ac vulgatius inter rusticos nomen commune est „Sinni mil.“

Quamvis autem, varius morbus noster habitum et diversam faciem induat, quatuor tamen formas praecipuas distinguere possumus, quae modo disjunctae et singulae, una tantum regione conspiciuntur, modo conjunctae, passim occurrunt, aut hoc aut illo potissimum anno vel anni tempore apparent; quam varietatem ut accuratissima acutissimaque, omnino adhuc desiderata observatio rectius aliquando distinguat atque edoceat, optandum est.

a. Aliqua corporis parte, cum sensu doloroso pruritus, pruritus aut ustionis, paulatim in dolorem vehementer urentem, perforantem abiente, perspicua, macula parva, irregularis, plana, rubra, cujus in medio punctum magis saturatum, — pulicis morsus effectui haud ab- similis, exoritur. Hoc super punctillo, epidermis ad lineae altitudinem et lentis circiter ma-

gnitudinem evehitur, in forma vesiculae hemisphaericae, initio subflavae, dein subviridis, caeruleae, violaceae et tandem subnigrae. Similes mutationes versicolores, margo maculae modo depictae, annuli ad instar, eam cingens, init et colorem mutat rubrum in caeruleum, violaceum et nigrum. Nec temperies memorabile aucta, nec sensibilitas, nec coloris magna mutatio — forte interdum rubida, — in cute vesiculam ambiente, — verum autem, tumor duriusculus percipitur. — Vesicula citius permutat colorem, quam ut hujusce gradationes singulas observare possis, uno quasi ictu, a colore lucido in austeriorem abit, subsidit et foveam relinquit, quam speciem, maligniore praeterea characterem insignem, nonnulli (Hupel v. c.) „weiße Blatter“ designant nomine, quae ubique periculosioris habetur, aliis speciebus. (A. W. Hupel, neue nordische Miscellaneen; 18tes und letztes Stück. Leipzig 1798. IV. Nevalsche wöchentliche Nachrichten vom Jahre 1799. 3tes Stück.)

b. Altera species jam ab initio in forma vesiculae rubrae, lineam et quod excurrit, supra cutis superficiem elevatae, aliqua corporis parte, pruritu plerumque aut dolore praecedentibus, fundo subsidet violaceo - rubro et colorem paulatim in violaceum, subnigrum permutat; —

halo ut plurimum inflammationem sistit magnam rosaceam, dolentem, quae plus minusve extensa, paullatim in cutis colorem consuetum abit. Interdum haec species in ambitu suo, albam, a cutis colore minus diversam, tactui at tamen calidiorem offert duritiem (Rinne). — Partes circumjacentes et subjacentes pari modo tumidae apparent. Ipsa vesicula pisi dimidiati magnetudinem vix superare solet et rarissime in nucis avellanae molem accrescit. (U. W. Hupel, Topog. Bd. 1. Desselben neue nord. Misc. G. R. Winkler. Von einigen der gewöhnlichsten Krankheiten der Ehstländischen Bauern. Reval 1793. P. G. Wilde, Estländische Abhandlungen u. s. w. J. W. L. Ludse, Terwisse Katekismusse Namat. Tallinnas 1816. Rinne Dissert.)

c. Tertia species maculâ insignitur rubra, in qua mox resurgit vesicula hemisphaerica seu oblonga, simul cum doloribus lancinantibus, per totam partem morbo correptam, ocyssime circumvagantibus; increscit vesicula et sensim ad pisi dimidii usque adscendit magnitudinem; colorem induit violaceum, dein quoque subnigrum; ambitus vesiculae colore caeruleo infectus, modice inflatus, cum temperiei et sensibilitatis minori aut plane nullo augmento, — halonem exhibet magnum, extus margine acuto et dentato terminatum. Partes subjacentes tensae, tumi-

dae, conii lati et depressi sistunt formam, cujus in apice, ipsa vesicula locum tenet. — Quae species in regionibus, ubi omnes occurrunt carbunculi species periculosissima, — illa sub littera a, celerrime permutante, notata, excepta, — existimatur, et in circulo Dorpatensi septentrionem versus, quam saepissime obviam esse, solet.

Latex in vesiculis harum specierum contentus, tenuis, foetidus, acer et corrodens, ita, ut laminae plumbeas rodant, — colore subflavo-nigro tinctus.

d. Quarta species, qua corporis parte exoriatur, cum vehementi inchoat dolore, quem subsequitur macula rubra, aequa, parva, concolor, acuto margine limitata, lentis vel nummuli argentei (Zünfer) magnitudinem aemulans; quaeque macula, colore mutato ex rosaceo in violaceum, nec non dein in subnigrum, tandem subsidit. Tumor parvus illam circumdans, quem cernitur, semper duriusculus, vix ac ne vix quidem ruber, cute reliqua calidior esse solet; nunquam plane desideratur circa maculam vel saltem perexiguus, dicitur.

§. 3. Carbunculum nostrum plurimis in partibus corporis obvenisse hucusque observatum est, praesertim autem regiones superiores (Winkler l. c. pag. 196. Rinne l. c. pag. 10.) earumque saepius istas occupare consuescit,

quas rusticus nudatas gerit, scilicet faciem, collum, pectoris partem (Baer l. c. pag. 36.), manus, quarum praeprimis digitos, in apice saepe infra unguem locum tenens, infestat morbus. Rarius conspicitur in lingua atque in extremitatibus inferioribus. Winklero testante et in dorso, et semel in ipso scroto affuit. Nullum nobis autem innotuit exemplum, eum apparuisse in regione abdominis, in locis pilosis vel in superficie interna palpebrarum, dum haud raro in externa earum occurrit superficie. Notandum adhuc, semper fere tantum partem corporis anteriorem offendere.

Plerumque una tantum vesicula vel macula conspicitur, rarius vero duae eodem tempore circiter erumpentes, supra tres nunquam apparent. Ut plurimum, si plures adsint, consociatae insident uno tumori, disjunctae vero, vix non semper morbum ostendunt duplicatum.

§. 4. *Diagnosis morbi. Initium atque decursus.* Sat difficilis pictu revera est imago morbi, cujus tantae occurrunt modificationes et aberrationes, ab illo tantummodo explicandae et dijudicandae, qui causas morbi influentes saepissime variantes, constitutionem aegrotantis atque ejusdem regimen — hic praeprimis respiciendum, — anni porro tempora et temperatum vicissitudines, quibus morbus epidemicus,

ut ita dicam et sporadicus valde permutantur, — secum reputaverit.

Haud a priori sed diligente et iterata observatione perducti, duos distinguere debemus casus in exponendo morbi decursu, ubi nempe *idiopathice* vel *symptomathice* incedit carbunculus, quae autem distinctio hucusque omnino neglecta, ex nostra opinione haud parvi est momenti.

A. *Carbunculus idiopathicus*. Pro diversitate speciei initium quoque morbi diversum; ut plurimum autem leve, unde facilius nos fugere potest. Dolor modicus, raro pungens in aliqua corporis parte (vide supra a. b. c. d.) initium levioris morbi gradus, indicat. Status universalis omnino integer, nec ullum, nisi molestum pruritus sensum; qua sero formatur carbunculus, queri potest aegrotans; securo igitur animo negotiis suis vacat, donec forsitan aliquo temporis spatio praeterlapso, quae versus finem morbi neglecti, veniunt symptomata, illius gravitatem indicant. Pedetentim carbunculus pro natura sua peculiari, ad acmen usque evolvitur, nullo modo aegrotantem molestans. — In *graviori* autem *gradu* dolor valde dilacerans, vigore increscente, subito morbi initium manifestat. Pars dolorosa inflatur, calere incipit, carbunculi vero sedes, pro speciei ratione co-

lorem ac sensibilitatem mutat. Adveniunt nonnunquam horripilationes, aestus et sitis; pulsus accelerati sunt, caput grave, dolens, mens aegroti turbata, languorem fortasse conqueritur, unde lectum petit; adjunguntur interdum vertigo, lipothymia, tensionis sensus in nucha, appetitus defectus. Tumescunt glandulae vicinae atque dolores locales increscunt; cutis tumidior fit atque coloris mutatio magis perspicitur; omnia phaenomena quoad intensitatem gravescunt, donec malum locale efformatum est, quo facto turba organismi plerumque sudoribus universalibus aut profusione urinae fluxu judicatur. In utroque gradu vesicula seu macula immutata perstat per aliquod temporis spatium, vel quandoque adhuc increscit, morbum solummodo exhibens localem. Si autem ars adjutrix sese non interponat ac focum morbosum localem non destruat, — status universalis mox infestat aegrotum. In *leviori gradu* nunc mutationes locales incipiunt, sine ullo affectionis universalis vestigio; aeger adhuc muneribus suis fungens, ingratum tantummodo lassitudinis queritur sensum; nil praeternaturalis, nec in secretionibus, nec alibi jam videri licet; mox vero pulsus exiles, frequentes fiunt; appetitus deletus; caput obtusum, facies pallens, frigida; extremitates gelidae, vomituritio denique vomitus ac alia

phaenomena in gradus gravioris descriptione adnotanda, accedunt, — status, qui convenit cum fine gradus gravioris, — attamen omnia minus aspera apparent. — In *gradu graviore*, mutationibus novis carbunculi factis, erectum semet sustinere nequit aegrotus; adgreditur novus febris insultus; frigus atque aestus mutantur; cutis arida, urens, facies rubra, tumida, sitis vehemens, aestus per totum corpus flagrans. Phaenomena febrilia perdurant atque incrementum, pulsus frequentiores, duriusculi, contracti, parvi plerumque, respiratio accelerata, secretiones suppressae; appetitus omnino deletus, lingua arida, ardens, interdum muco albo obducta; caput magis afficitur, dolet, et sequuntur deliria; aegrotus anxietates, angores, vomitionem, sitem magnam, ardorem internum conqueritur atque inquietudine gravi vexatur. His sub phaenomenis, media carbunculi parte desidente, exortis, plurimae jam mutationes factae sunt in morbo locali: subsidit tota macula, collabatur epidermis pridem eversa et quasi adnixa videtur cum parte media, fundo nigro, duro, omnino insensibili, fere usto carboni haud absimili, quem annulus ille ruber (a) vesiculam antea circumdans, nigrescens jam aut elevatus, tori parvi versicoloris ad instar cingit; evanescit halo rosaceus latus (b), albescit

cutis; halo caeruleus amplus (c) decoloratur, pallescit ac livescit, calorem ac sensibilitatem parumper adauctam deperdere solet, in gradu autem graviori intactam adhuc servat. Partes subjacentes et fundum gangraenosam ambientes magis nunc tument, omnia tensa et dura apparent; exasperantur, si adfuerint dolores. Glandulae corporis ac praeprimis, quae vicinae loco affecto, valde increscunt, cute supra nullomodo mutata. — Vomituritio, mox in vomitum vehementem, dolorosum, pertinacem transit, quo quisque cibus assumptus, quinimo mitissimus ac omne fere medicamentum propinatum, ad summum aegroti levamen respuitur, cui ponderis gravis validique in regione scrobiculi cordis sensus*) accedit, quem haud bene exponere possunt aegroti; nec deest algor strenuus marmoraceus extremitatum inferiorum. Status ille organismi modo longius, modo brevius protrahitur, Inter conversiones mali localis tumor quam maxime mutatur; elasticus, resistens, durus, attamen nec oedematosus nec inflammatus apparet, valde extenditur atque sensum constrictionis, torporis edit; quo magis increscit

*) Sensus hic aegros praeprimis versus finem vitae molestare videtur, unde praë omnibus aliis signis voce: *süddama wasso* (dolor cordis, ejus sedem in scrobiculo cordis ponunt; vide Baer) exprimitur a rusticis.

eo insensibilior 'atque frigidior redditur; medium ejus gangraenosum, ut plurimum saltem, nullam prorsus ostendit alienationem. Vires magis magisque prosternuntur et totus adspectus aegroti gravissimam virium exprimit dejectionem; tremulans, nutans, vagus est. Pulsus exiliores, frequentiores, irregulares et interdum cutis temperies in extremitatibus, — agone summo interno, quasi soluto, — paullulum adaugetur; respiratio oppressa et gravata; inquietudo atque anxietates gravescunt; sudor frigidiusculus frontem et genas frigidas obtegit; oculorum acies disparet; partium turgor cedit atque maxima hebetudo tum in sensu aegrotantis, tum in omnibus organismi functionibus sese exserit. Jam tumor magis adhuc extensus, mollior ac pallidior vel lividior fit et dolores ibi imminuti, sensum perforationis relinquunt. Perspicuo ad finem tendit organismus. Glandulae adhuc magis tumidae permagni sunt ambitus, praesertim circa collum et maxillam inferiorem. Perdurant deliria vel obtunditur caput in *gradu leviori*; dolent fauces et deglutationem nonnunquam impediunt. Aegri obstaculum in spirando sentiunt, unde gulam sibi strangulari queruntur, quo tumida fit interdum facies et deformis caputque magis soporatur. Anxietate interna, capitis temulentia, spirituum offensione incre-

centibus, vomitu persistente, organismus adhuc cum viribus suis exhaustis aliquantulum interitui reluctatur, qui ob conscientiam ad supremum usque spiritum interdum liberam (in gradu sc. leviori), acrior et flebilior fit; plerumque vero aegrotus paullulum ante mortem demum de statu mentis dejiciatur. — Subito ad maximam circumstantium perturbationem, conscientia evanescente a se exit aeger, vix quidquid desiderans vel efficere conatus, extinguitur tandem vita, dum spasmi convulsionesque adsunt et spiritus in longis ducitur intervallis. —

Talis est imago plerumque morbi, si in facie, collo aut pectore sedem elegerit, sin autem extremitates et praeprimis inferiores, vel trunci partes remotiores obsideat, tardior atque lento decursu ut plurimum producit *statum nervosum* cumque deliriis blandis, animi deliquio, pulsibus parvis, contractis, frequentibus, anxietate interna, magna, extremitatum frigore, lingua arida, cute sicca, vomitu continuo, sensu peculiari in regione ventriculi versus finem vitae interdum plane silente, alvo stipata etc.; sed gulae constrictiones, respirationis difficultates vel omnino desunt vel exiguae sunt; morbus in longum plerumque trahitur et vita tandem finitur? Momenta putredini faventia, si adsunt, facile hoc in casu fortasse corruptionem humorum minantur, quem

in decursum inter omnes species prolatas (§. 2.) illa cum halone caeruleo (c), hic ut plurimum in gangraenam transiente, maxime vergit.

B. *Carbunculus symptomaticus*. Eruptionem carbunculi semper praecurrunt prodromi minores vel majores, secundum quos pariter ac in carbunculo idiopathico, *gradum* statuimus *leviorem* atque *graviorem*; utrique vero hoc peculiare est, quod homines omnino vegeti et sani subito a febris agitationibus, corripiuntur. Frigoris calorisque vicissitudines, pulsus accelerati, duri, interdum parvi, irregulares, sitis aucta, initium febris designant. Aegrotus statim cubitum ire desiderat nec aptum sese habet ad labores; sensum queritur peculiarem gravationis atque membrorum accusat diffractionem (Qu condi mallo), nauseam, quam mox vomitus sequitur, appetitum deletum, cum lingua obducta vel pura; accedit porro capitis turbatio vel sola gravatio. His sub signis incertum morantibus tempus, alicubi dolores trahentes vel pruritus vel titillatio leves sentiuntur in cute, illo loco tumida atque calidiore. Febris phaenomena pedetentim augentur, increscit calor siccus et ab inquietudine interna aegrotus vexatur; exoritur in parte dolente inflammatio rosacea, cum tumore partium maxime dolorifico aut efformatur tantum pro ratione speciei car-

bunculi, quam procreare studet natura, tumor vel albus vel caeruleus, cujus in medio vesicula vel macula surgit. Dein plerumque phaenomena febrilia evanescent; dolores partis affectae autem, dummodo jam ab initio adfuerant, semper usque ad perfectam formationem mali localis, et si exitus malignus imminet, paullatim crescentes, non nisi brevi ante mortem mitigantur. Glandulae vicinae tumescunt. — Sic malum locale vitae suae fastigium assequutum, in statu periculoso versionis vertitur et nisi ars adiutrix, intercedat, vel serius veniat, certe mors minatur, iisdem stipata phaenomenis, quorum in descriptione carbunculi idiopathici, mentionem fecimus.

Major autem est turba atque vehementior in *gradu graviore*. Cito citius morbo correpti insigni vexantur languore, imbecillitate, virium prostratione, segnitie membrorum, capitis gravitate. Algor quassans brevi incedit, quem aestus urens sequitur; capitis dolores, qui mox regiones suturarum, mox sinuiput, mox occiput magis urgent (Rinne) atque — si malum nostrum locale, uti solet, faciem vel capitis vicinitatem infestare studet, — vel in furorem vel in soporem abeunt, cum insomniis aut magna dormiendi cupiditate conjunctum. Rubet facies, ardent oculi rubicundi, omnes-

que secretiones suppressae sunt; sitis valida; urina profunde rubra et flammea. Anxietates, angores vehementes aegrum assidue torquent. Accedunt vertigo, nausea, vomituritio, vomitus, quo initio materies mucosae, dein autem biliosae ejiciuntur; praecordiorum sensibilitas (Rinne); lingua plerumque sicca, pura, rubra, quandoque tremula; cordis palpitatio vehemens, pulsus mox magni, mox parvi, duriusculi, accelerati, interdum irregulares; respiratio anxiosa, accelerata. Signis pessimis adhuc adnumerantur animi abjectio, cum certissimae mortis praesagitione, quamvis aeger nil de morbi indole cognoscat. Pro ratione constitutionis subjecti laborantis mox phaenomena systematis irritabilis, mox phaenomena systematis sensibilis praevalet, unde in feminis ac infantibus animi deliquia, vertigines, loquelam blaesam, flebilem, linguam tremulam, anxietatem atque inquietudinem inexplicabiles, phaenomena systematis irritabilis longe superantia, videbis. His sub signis periculosissimis magis adhuc crescentibus, in aliqua corporis parte, praecedentibus doloribus valde acerbis, formatur tumor, plerumque durus, tensus, qui ut plurimum jam ab initio liberam partis actionem impedire solet et pro ratione speciei carbunculi, tum respectu temperiei cum doloris ac sensibili-

litatis variat, attamen major semper apparet et altior quam in gradu leviori supra descripto. Hujusce tumoris mediam partem macula tenet vel vesicula cognita, quibus in conspectum venientibus morbus noster stadia sua percurrens, vel phaenomenis decreascentibus, cute mardente et urina uberius profluente, ad sanitatem vergit vel signis novis — sicuti supra in carbunculo idiopathico indicavimus, — orientibus, ad magnum vitae periculum vel in celerrimam transit mortem. — Sin autem vesicula vel macula surgere recusat, in tumore praesente atque turba organismi vi crescente perdurat, mox sensus quidam peculiaris abdominis, plerumque in regione scrobiculi cordis accedit; vomituritiones, vomitus pertinaciter continuantur; algescunt membra, pulsus exiles, frequentissimi fiunt, et pessima quaeque minitantur; respiratio laboriosa; sudor frigidus prolicitur in fronte ac facie laborantis, qui maximos in vultu ob carbunculi vicinitatem tumido, exprimit cruciatus; nec desunt lipothymiae, vertigines, deliria; *macula vel vesicula tandem erumpentes, semper parvae sunt et vesicula, si modo ejusmodi est formae, minus supra cutis superficiem elevata,* tumore tamen amplissimo, plerumque jam albo, duro, circumdata, magnam ostendit ad desidendum et gangraenescendum proclivitatem. Phae-

nomen febrilia, tantum abest ut nunc sileant, ut potius gravescant. — Eodem modo sese habet *species illa*, quae non nisi in *ultimo vitae momento*, quin *etiam vita jam*, uti nobis saltem videtur, *extincta*, (die sogenannte, nach dem Tode ausbrechende Blatter) prorumpit; et jure ad periculosissimam numeratur speciem, — a rusticis ubique maxime formidatum. Hoc in casu morbus iisdem cum symptomatibus evolvitur aequae ac in gradu graviore jam prolato, eo tantum excepto, quod omnia phaenomena jam ab initio, non solum majori cum intensitate, sed etiam celerius se invicem succedentia magisque urgentia incedunt. Praesertim anxietas cardiaca summum attingit fastigium et inquietudine interna aegrotus continuo in lecto jactatur; etiam hic tumor elasticus, durus, maxime extensus sub doloribus serius advenientibus, perforantibus, rodentibus et quidem ut plurimum in regione superiore corporis, in vicinitate organorum nobiliorum, formatus est. In ambobus ultimis casibus, deficiente artis auxilio, morbus vitae suae fastigium assequutus, celerrime ad finem vergitur; nam vires mox dilabuntur, et magna earum infirmitas atque prostratio aegrotum amplectitur; — pulsus exiliores, debiliores, vibrantes, contracti et tandem intermittentes fiunt. Secundo, rarius tertio post initium

symptomatum primariorum die, mors scenam hanc terribilem claudit, dum convulsiones corpus vehementer convellunt atque spuma alba, crassa os obducitur. Macula vel vesicula haec inter signa ortae, planae cuti superjacentes et parvae, livido tinctae sunt colore, absque halone, vel apparent solummodo maculae quaedam amplae, caeruleae aut nodulus parvus. Quaeque cutis mutationes cinctae videntur tumore illo magno, pallido, albo, maxime extenso, ita ut non raro partem majorem cutis inflatam esse observare liceat; — in quo inter vitam dolores terribiles saeviebant, et jam algescente, aegrotum maxime excruciabant, dum saepe tactu nullo protinus modo adhuc offendebatur. Glandularum intumescencia sensim gliscens, in his quoque casibus in conspectum venire solet. —

Transitus in sanitatem. Si vero ars nostra aptis remediis impediat, quo minus desidant vel gangraenescant vesicula vel maculae, mox ad exitum benignum vergitur morbus. Dehiscit vesicula et ichorem edit; fundus violaceus, aequus, brevi rubescit et denique rite pallescit; tumor, rubor vel livor vel qualiscunque perstiterit adhuc mutatio, in ambitu vesiculae vel maculae, vel infra eas, — paullatim disparent atque dolores terribili saepe modo torquentes, statim silent. Saepe epidermis depravata

e fundo cito restituitur; in aliis vero casibus et semper in illa sub littera d. descripta specie mali localis, pelvis profundior, quasi in tela cellulari corii radices figere, videtur. Ibiq̄e suppurationis ope nuclei in modum, totae telae cellulosae mortuae pars, emovetur, quam rustici carbunculi cor (Billi südda) nominare consuescunt. Ulcusculum leve cutaneum cum marginibus rubidis, citius tardiusve clauditur atque cicatricem parvam relinquit. — Interdum gangraena parvula in ambitum abit, quae vero sibi semper ipsi finem imponit vel saltem a natura, artis ope facile removeri potest; ulcus hinc exortum plus minusve cito clauditur. Nonne fortasse abusus irritantium, haud ubique valentium, illi processui ansam praebet? Ubi adfuit febris, haec quoque paullatim, carbunculo formato perfecte, sudoribus levibus vel lotio profuso iudicata, evanescit, — nec deest nunc quies totius organismi, quae eo jucundior aegro est, quo magis statum hunc mutatum cum praegresso cruciante comparat. Crisi locali tumoris, gravem post turbam organismi perfecta, — per multos dies sensus lassitudinis magnae restat; ceteroquin hac in periodo non secus se habet decrementum morbi ac in casu leviori. Aegrotum in ulteriori periodo jam morbi, si tibi contingat eum servari, paullatim sanitatem recuperare vi-

debis, omnibus phaenomenis morbi lento passu decrescentibus; in multas protrahitur hebdomades perfecta sanitatis recuperatio, quin status nervosus lentus aegrum relinquat. Vires totius organismi sensim eriguntur; pulsus tardiores, majores, pleniores fiunt; respiratio antea difficilis, accelerata, quietior fit; secretiones in normam rediguntur; cutis calescit paullulum, madescit, — frigore extremitatum evanescente; appetitus ciborum lento passu reficitur; lingua fit purior, rubescit, madescit; caput liberatur; omnes denique functiones organismi pedetentim statum normalem adtingere student, donec reconvalescens, viribus jam auctis confidens, lectum deserere audet. — Transitus hic lentior in sanitatem magis per lysin quam per crisiu manifestam, obtingere solet. — Localis affectionis crusta gangraenosa parvula seu major solvitur ac removetur, formatur ulcus apertum cum puris secretionem et marginibus rubidis, inflammationis; partium tumor magnus in ambitu ejus imminuitur ac glandularum inflatio collabatur, redit calor naturalis et sensibilitas in locum illum paullatim integritatem suam recuperantem.

§. 5. *Morbi succedentes.* Non semper post aliquot dies ulcusculum cutaneum clauditur, quod vero, latius serpens, profundum petit, dum a tumore circumdatur duro, haud raro cae-

rus lente - rubro. Tum margines ejusmodi ulceris rubescentes cernuntur, nec torosae, sed potius accurate perpendiculares, tanquam secatae; fundus illius tum purus ac ruber, tum decolor et quam maxime in carnem luxuriantem producendam, propensus. Ulcus ipsum dolens, ichorem emittit vilem, quo magis magisque corroduntur partes atque inflammantur et crebro quidem substantiam muscularem, quinimo ligamenta, periosteum ossaque ipsa (quod nunc rarius contingit), corripit. Nonnunquam in ambitu talium ulcerum receptacula puris magna eque exoriuntur fistulae, quae telam cellulosa[m] facile perrepentes et sibi ipsis commissae, mox latissime extenduntur. Sequuntur exinde anchyloses, rigor artuum, mutilationes, caries, in casu vero secundiore cicatrices magnae et largiores. Interdum adeo febris lenta accedit, ac tabe conficitur aeger, vehementer ulcere excruciatu[s] *) (Winkler). Gangraena etiam, nonnunquam ulcus adgrediente vita subito exstinguitur. Quod si per menses, quin etiam per annos ulcus pateat, quod saepissime occurrit, — licet haud magis extendatur, vice fonticuli tanquam fungitur difficileque claudi sinit. — Carbunculum quum bul-

*) Quod et in morbo affini contingit (Sfätt). — F. Schnurrer, geographische Nosologie. Stuttgart, 1813.

bo oculi vel partibus inhaeserit adjacentibus, plura oculorum vitia consequuntur, sicuti maculae corneae, excrescentiae spongiosae, saepissime vero ectropia, quorum plura nobis exstant exempla; vel palpebrae totusve bulbus acerri-
mis doloribus plane conficiuntur (Winkler).

§. 6. *Typus et mora.* Febris, carbunculum praecedens (carb. sympt.) vel erumpente illo (carb. idiop.) vel illo jam nigrato accedens, semper est continens, pro gradu solummodo ac indole varia, diversis in corporibus. — Mora morbi inconstans; attamen carbunculus idiopathicus intra nonnullos, post primariam doloris apparitionem, dies plerumque evolvitur. Carbunculi symptomatatici eruptio — prima si respiciantur symptomatum se praebentium, — paucarum spatio horarum perficitur, etiamsi nyctemeron interdum, quin etiam, — in gradu graviore, — duos vel tres dies usque moretur. — Semper huic morbo *dies tertia, sexta nonaque* judicantes se praebent: *die tertia* carbunculus symptomaticus summum evolutionis gradum attingit ac saepius vesicula vel macula, minoribus, difficile erumpentibus, mors advehitur; carbunculum efformatum jam nigratum esse ac mortem afferre, rarius contingit; — *die sexta et ineunte septima*, judicantem se exhibente post carbunculum nigratum rarioribus casibus me-

lior aegrotantis conditio, plerumque vero mors supervenit; *die nona*, conservatione vel non subsecuta, vel plane neglecta, vita excedit aegrotus. Rarius hoc in casu vita adhuc ad *diem undecimam* usque servatur.

§. 7. *Varietates speciales*. Etiamsi verum sit, morbum nostrum ex uno eodemque fonte originem ducere, plures varietates attamen exhibet (respectu decursus, formae, carbunculi magnitudinis, etc.) quae mentione dignae videantur. Plus minusve certe omnes hae varietates referendae sunt ad rationes individuales et locales (ad constitutionem (temperamentum et habitum), ad sedem, sexum, aetatem, regionem, anni tempus, tempestatem); vel forsitan — saltem ex parte — pendent illae a causa morbi paullo modificata, unde potissimum in variis annorum evolutionibus quam maxime patescunt.

Adolescentibus succosis, vividis, morbus hic tum localis, tum universalis, systemate vasorum perspicue affecto, citius finitur, et in ejusmodi individuis momentum inferendi auxilii facillimum praetermissu; rarius, carbunculo jam nigrato, spes illos sanandi erit. Semper vero vitium locale deinde per longum tempus resistit, quin sanetur.

Infantes ac feminae, variis nervorum acce-

dentibus affectibus, plus negotii medico facesunt, propter imaginem morbi meri, illis facile perturbatam et deformatam.

Subjecta aetate jam provecta, arida, cutecum sicca rigidaque, in semet ipsis impedimenta portant, quo minus celeriter agant medicamenta topica, unde nonnunquam periculum evadere oportet.

Homines dyscrasia aliqua praediti, medelam semper difficilem reddunt; morbus complicatur ac formam induit abnormalem.

Diversae varietates morbi a sede varia mali localis pendent, et hanc ad rem experientia edocti scimus, quo propius organis nobilioribus, eo vehementius pro ratione decurrere morbum; qua de causa in genere carbunculus capiti ac trunco insitus, gravior, quam qui extremitatibus. — Carbunculo tempora occupante, tumor tum citius, tum tardius exoritur, durus, tensus et dolens, colore, pro ratione speciei carbunculi, vario, supra magnam faciei capitisque partem se extendens, ut plurimum cum delirio et vehementibus doloribus capitis conjunctus. Quum carbunculus palpebrae vel bulbo ipso insideat, partes hae plane tumescunt, accedente partis faciei tumore. Simul etiam functiones oculi laborant atque facile consociantur cerebri affectus. — Si carbunculus genae inhae-

reat, tunc intumescencia potius in collum extenditur, quin etiam os faucesque invadit, unde symptomata gravia nascuntur, quod potissimum contingit, dum carbunculus linguam tenet; quo in casu decursus morbi morte ineunte facile interruptitur. — Colli intumescencia, pressionem in vasa, nervos, oesophagum, tracheam exercet, unde functionibus horum organorum turbatis, haud raro periculum immineat; in pectus quoque et faciem tumor propagatur. In pectore tumor telam cellulosaam amplius perreptat nec non ad ipsum abdomen penetrat. — Tumor extremitates tenens, pedetentim totam earum longitudinem occupat.

Anni tempus et constitutio epidemica sane magni esse momenti videntur, quoad decursum et indolem morbi, quippe qui semper ab illis plus minusve characterem peculiarem accipit.

Nonnunquam morbus praeter consuetudinem celerrime decurrit, ita ut aegrotos spatio 18 usque ad 24 horarum jam enecet; tunc vero carbunculus periculum afferens symptomaticus est; — aliquando contra illius decursus perquam lente procedit, nec prius morbus penitus judicatur ante quam septimanae ipsae praeterlapsae sint. — Aliquando carbunculum benignioris indolis et minori cum propensione ad gangraenam conspicies. — Exceptis carbun-

culi speciebus supra allatis, hıce nonnunquam durante epidemia (?) in forma nodali lividi, variae magnitudinis, usque ad latitudinem pollicis dimidii in diametro, duri mobilisque, tumore duro magnoque cincti observatur, quem aptis medicamentis eo perducere possis, ut suppuret, ubi macula parva et alba, ejus in apice primum tibi in conspectum veniet. — Aliquando striatum subflava, diversae longitudinis et latitudinis, tum rubicunda, radio similis, medio e carbunculo egrediens, cernitur. — Tempore, quo carbunculi utique grassantur, haud raro non nisi *) tumor solus, saepe valde tensus, nitidus et albus (Winkler p. 310.) vel caerulescens, vel purpureus, vel alio modo tinctus, qualibet corporis parte, — inter omnia symptomata carbunculum concomitantia, animadvertitur, quem, nisi justo tempore, medicamenta convenientia adhibeantur, mors cito sequitur. — Eodem tempore etiam morbi universales, illis haud ab-similes, qui morbi nostri (carb. sympt.) tum stadium primum, magna cum capitis occupatione,

*) Simillima quaedam observare licet in morbis aff-nibus, v. c. in *„Morawaja Jaswa“* (Berche in d. neuen nordischen Beiträgen Bd. 1.); in morbo *„schwarze Blatter“* (Wunder der Natur. Baldinger's neues Magazin für Aerzte. Leipzig 1788. Bd. 10. St. 3.); in morbo *„Pocolwar“* (Schnurer l. c. pag. 500.)

tum stadium alterum, post nigratam vesiculam vel maculam comitantur, rusticos adgrediuntur, nisi quod ne minimum quidem mali externi videatur. Aegroti ab illis semper cito extinguuntur, ante quam remedia afferri potuerint, quoniam tum agnoscere non solent, tum forsitan magis perniciosi sint. — Quaeritur utrum ejusmodi exempla ne huc omnino non pertineant, an respectu casus postremi, solummodo crisis extus, ut solet formanda, intus formaretur, forma externa simili induta, — quin dubitarem, quippe qui casus revera a rusticis *carbunculus internus* vocatur? — Quibus accedit, quod conditiones, ut incendatur, eadem ac nostro in morbo sint. — Alia vero variatio et pessima est illa, ubi signis localibus omnino nullis, nec dolore, nec tensione vel tumore memorabilibus, praecedentibus, in ultimis vitae momentis macula aut vesicula inter affectionem universalem, — normalem comitantem decursum morbi, — erumpunt, — unde facilius indoles vera abnormitatis et morbi singularis fallere nos potest. —

Carbunculum etiam quoad magnitudinem vesiculae vel maculae apparentis commutari videmus atque pro hoc indicio tres illius species rusticus distinguit: carbunculum cum *parva* nempe — vix lentis magnitudinem attingente (parum supra cutem elevata), — cum *majori* perinde,

magnitudine dimidii pisi, — cum *maxima* denique vesicula vel macula, — amplitudine rubelli argentei, qui ubique rarissime videri solet.

Omnnes hae diversitates crebrius vel rarius in hac aut illa regione praesertim observantur.

SECTIO SECUNDA.

§. 8. *Praedispositio ad morbum.* Pristinis jam temporibus observationibus multifariis firmatum, constat, organismum a contagiis ipsis saevissimis et venenis perniciosissimis interdum non corripi. In epidemiis perquam contagiosis homines infectionis expertes animadvertimus, etiamsi saepissime infectioni sese exponant; alios, qui semel variolis, morbillis, scarlatina laboraverint, raro iterum ab hisce morbis infestari videmus. Quibus jure concludimus, ejusmodi subjecta facultate necessaria vim morbi excipiendi caruisse atque summatim istam facultatem ad affectionem morbosam perficiendam, poscimus. Seposita vero illa observatione, cuique homini facultatem quamdam nonnullas morborum causas accipiendi, pro gradu diversam, innatam esse (dispositio congenita — universalis), v. c. ad exanthemata contagiosa, venena majoribus dosibus adhibita, instrumenta modo

mechanico laedantia etc., quae ex individualitate universali indolis humanae patescat; — at tamen experientia edocti scimus, dari adhuc peculiarem ad alios morbos, nec cuique homini, nec majori gentium numero propriam (dispositio aquisita - specialis), quae e certi systematis vel organi proprietate originem ducere possit. Ejusmodi dispositionem peculiarem etiam in morbo nostro assumere debemus, et quaeritur, quibusnam momentis in rusticis cicatur illa et in cujusmodi organo vel systemate radicetur?

Jam in habitu infantum rusticorum systema vegetativum praevalens, quod hereditas paterna, nimis robustiore, infantis organismi viribus non apto victu, neglecta cutis cultura, amplius adhuc efformatur, et ad morbi opportunitatem, nec non ad morbi efformationem ipsam interdum evehitur, — quo fit ut hac in tenera aetate scrofulae, rachitis, atrophia ac vermes apud liberos Esthonicos sat vulgare observentur. Eam ingressus aetatem Esthonus, ubi molesta rustici opera praestare possit, multae eum novae potentiae invadunt, quae omnes congenitam et in postero amplius efformatam morbi opportunitatem augent. Tunc per majorem diei partem sub dio vivit et tantum ad breve noctis tempus in humile angustum, sordidum fumosumque migrat cubiculum, quod saepe

hieme praesertim, non solum cum multis aliis hominibus, sed etiam cum pecore tenet. Inter diu imbres, procellas omnisque generis tempestates fert, et, vel in agro aperto, ubi pulvisculi et alia in aëre natantia corpuscula in cute subsidunt, vel humidis in pratis et paludosis in sylvis occupatus est, in quibus aër humidus, corruptus modo calidus, modo frigidus et saepe temperaturam mutans, eum excipit; — auctumni ac hyemis tempore insuper noctu trituris fungitur, in areis hornei calidis, pulverulentis. Omnes fere labores ad cutis usque nimiam actionem continuantur, cujus vero excreta, copiam augent rerum nocivarum. — Et talem vitam ad senectutem usque, agit rusticus.

Nil igitur miri, quod nullo excepto, omnes climatis et soli influxus, aliique nonnulli nocentes in organismum Esthoni agunt, qui magnae efficaciae esse, nemo sane negabit. — Quae quidem momenta fere omnia, iis in regionibus praecipue dominantur, ubi morbus noster, quam maxime endemicus, grassatur.

In tenera aetate victus rudis, sordidum vitae genus, aër cubiculi mucidus, congenitam systematis vegetativi infirmitatem adaugent, tractumque prae ceteris intestinalem, cutim etc. afficiunt; eodem modo in senioribus annis agunt aër cubiculi corruptus, atmosphaera humida,

mox frigida vel calida, paludum miasmatibus et pulvisculis contaminata, cutis sordes, ex ejusdem nimia excretionem cumulatissimisque pulveribus exortae, quibus adhuc sordidi lintei vestimentorumque squalidorum additur usus, quae omnia rara corporis lavatione et parca vestium mutatione removeri nequeunt.

Non solum hisce momentis, illa organa, quae mutuam inter organismum et mundum sustentant actionem, morbose afficiuntur, sed etiam totum systema vegetativum paullatim igiturque et praeseptim cutis, opportunitatis morbosae vel morbi ipsius particeps fieri debet, — quo iterum infirmitas hujus organi procreatur et augetur, resistendi rite causis influentibus, — unde facile novis affecta noxis, ad ipsam denique evehitur morbum.

In systemate hoc vero vegetativo et praecipuis in parte sua cutanea, morbus radicatur hic descriptus; — unde antem dispositio ad hunc nascitur, — ex superioribus patescit, etsi negari nequeas, jam adesse dispositionem quamdam congenitam versus causam morbi nostri, momentis prolatis vero adhuc auctam, unde propagatio magna hujus, fortasse latescit.

Hacce sua vita morbose aucta, systema vegetativum prae ceteris systematibus praevaleat omnesque morbi, organismum invadentes, plus

minusve characterem vegetativum induant, necesse est.

Hac in praevalentia systematis vegetativi vel in constitutione exinde fortasse nata, ipsa, rustici Esthonici, peculiaritatis, quam morbus noster prae similibus aliarum terrarum accipit, inveniemus causam (§. 15.).

Quibus omnibus perpensis etiam morborum hujus systematis (febres pituitosae, dysenteriae, hydropes, praecipue anasarca, etc. Baer p. 70. 75.) et praepremis morborum cutis frequentiam (ulcera diversissimae formae omnisque naturae, tumores, pseudo-organisationes, exanthemata chronica et acuta, (Baer p. 59. 74.) nec non omnisque formae morbi rheumatici, catarrhi etc. Baer p. 58, 59.), quibus Esthoniae rustici expositi sunt, explicare potes.

Causae morbi. Rusticus Esthonus morbi natura imperitus, valorem sejus sine tantum metiens, in omnibus, quas infirma sua ratio perspicere nequit res, maximam monstrat superstitionem et bonorum vel malorum numinum viribus omnia, quae eum infestant, interpretari explicareque vult, (qua ratione quoque curationes supersticiosae nonnullorum morborum cutis, oriuntur; Winkler pag. 284. Baer pag. 79.). Persuasum sibi habet, malum terrae locum (Sant pais), quem transivit, in quo ja-

cuit vel in quem minxit, et ubi cacodaemonem aliquem morari credit, nostrum morbum ipsi induxisse. Alia rusticorum pars nostrum morbum, malo vento (Gant tuul) adductum, arbitratur. — Quid de opinionibus his, simpliciter ut proferuntur, putandum sit, libero quisque animo facillime intelliget; numquid autem argutior harum perscrutatio, veri, in re ipsâ fundati quidquam dare posset, et num illorum elementorum (terrae et aëris) duplex (quâ elementa nocentia vel quâ virus ducentia et propagantia,) accusatio, e recta quâdam naturae consideratione, quae vero perversâ explicandi cupiditate et multifaria traditione corrupta est, profluxerit, haud omnino in dubium revocemus. Mirum semper est, quod praecipue terra cum suis exhalationibus et aër cum suis mutationibus duas sistunt potentias non leves, ut rem nostram explicemus.

Morbus noster, uti jam prius diximus, endemicus grassatur, et inter Esthonos tantum obvius est; quam igitur naturalitus, causa ejus in gentis proprio vitae genere et victu, in terrae et climatis conditionibus physicis ponebatur, unde variae illae ac falsae accusationes natae sint, quas illis in rebus quaerere, nonnulli coacti erant.

Pisces putridi. Observatio, nostrum mor-

bum partim, in iis regionibus, quae lacubus piscosis et fluviis abundant, grassari, ansam fortasse praebuit, ut prima morbi causa in piscium, calore aestatis, et neglecta et seriore praeparatione putridorum esu, poneretur (Hupel, Top. Bd. I. S. 565. Wilde.). Eo praetermisso, quod, huic si adsentiremus, plurima nostri morbi phaenomena concomitantia ac circumstantias varias explicare nequimus: (cur v. c. praecipue nudatae corporis partes a morbo afficiuntur? cur, non mutato victu, morbus nonnullis in regionibus rarior factus est et ex aliis omnino fugit? — cur pauperior hominum multitudo inferioris ordinis in oppidis et in eorundem vicinia, malo caret? etc.); haud intelligimus, quamobrem non frequentius febres putridae (Confer hac de re Baer, pag. 69.) aliaeque febres, quae putridorum ciborum usum excipere solent, nascantur? Reperiuntur praeterea nationes, quae piscibus et quidem insulsis ac etiam putridis frui debent (v. c. Groenlandii, Novi-Batavi, Lappones et aliae gentes littoreae) et contra aliae, quae putridos pisces pro cupediis habent (quae sunt in oris calidioribus et versus meridiem ad fluvium Senegal, Chinenses et aliae. Schnurrer pag. 190.); attamen nec de nostro, nec de simili morbo apud eas quidquid accipimus, dum febres putridas, ab eorum climate

saepe lotas, frequenter audimus. Et Esthoni in vicinis insulis (Oesel, Dagden, Moon etc.) habitantes, quibus pisces praecipuum praebent cibum, nostro morbo vacant. — Ad quae omnia accedit adhuc, ut rusticus Esthonicus terram continentem habitans, non piscibus unice vescitur (Baer pag. 36.), qui plane minorem victus partem sistunt. Quodsi autem accusatio haec clupeam spratticum L. in mare Baltico, vel cyprinum muraenulam L. in lacu Peipus captos, tangit, non perspicere possumus, unde morbus etiam alias regiones, ab his lacubus longe remotas, frequentat, in quibus nulla sane infectio, si talis extra dubium existeret, statui potest. — Denique hanc assumptionem plurium medicorum repugnat observatio (Rinne pag. 13. et Baer pag. 74.).

Vitae genus. Alii sordidum Esthonorum vitae genus causale morbi momentum putant. Quis ab hoc, varia mala provocari posse, neget? certe autem, qui id morbi nostri causam censet, rem nimis parvi pendere, nobis videtur. An possunt inveniri populi sordidiores, quam Samoiedi, Lappones et Charruas in America etc., nunquam balneo utentes, unde cutis eorum insectis pollet? — attamen morbo nostro carent; contra ibique sicuti hic varia tenacissimae naturae, chronica exanthemata, vitae ge-

neris sequelae, reperiuntur. Ceterum morbus noster frequentior et non solum rure sed etiam alias occurrere deberet. — Multa alia nostrum morbum concomitantia phaenomena, quae ea assumptione, non plane perspicere possumus, negligentes, hoc momento tantum quidquid ad morbi opportunitatem conferri, concedere possumus. —

Aër humidus, paludum miasmatis mutatus. Gravior, et uti videtur, recta hujus momenti, qua morbi nostri causa, accusatio; nascitur ex observatione vera, nostrum morbum in talibus praecipue grassari regionibus, in quibus atmosphaera partim paludum stagnorumque exhalationibus, partim putridis, et vegetabilibus (in sylvis. Baer p. 61.) animalibusque (in lacuum fluviorumque litoribus) corporibus corrumptur. — Summo jure majores nostri aërem pabulum vitae appellabant, et hoc dicto plane arguerunt, quam necessarium ad inoffensam organismi salutem, aëris elementum putavere; aequo modo autem et insalubris aëris vim nocentem dignabantur. Et jam medicinae pater Hippocrates (in libro de aqua, locis etc.), severus et accuratus ille observator in antiquitate, aërem e stagnis ortum, multorum morborum fontem censet. Quae vero observatio, si paludosarum terrarum topographias perlegimus, sem-

per adhuc confirmatur. Ibidem plerumque membranarum mucosarum morbos nasci videmus, qui pro ratione anni temporis et loci climatis, partim inflammatoriae, partim nervosae, partim putridae naturae sunt et mox acutius, mox lentius procurrunt *). Ejusmodi insalubris atmosphaerae effectus nobis quoque non desunt (confer quod Baer de anni temporibus §. 7. et morbis endemicis §. 24. adfert) et sic catarrhales et rheumaticas affectiones et febres intermittentes in frigidioribus, febres pituitosas et dysenterias in moderatis et affectiones putridas in calidioribus mensibus, in quibus stagnorum et paludum exhalationes majorem acquirunt vim (Lancisi de noxiis paludum effluviis eo-


*) Sic in *Batavia* febres invenimus intermittentes et prokursus lenti, endemic grassari; in *Hungaria* jam characterem induunt magis remittentem, faciliusque ad putredinem inclinant humorum (dysenteria putrida); in *Italia* febres, propinquitate paludum Pontinorum exortae, phaenomenis periculosis nervosis stipatae sunt, ac brevi tantum gaudent apyrexia; in *Hispania* a paludum influxibus gravissima symptomata produciuntur: rejectio massae nigrae, color cutis flavus, deliria pessima, furibunda etc., quibus signis morbi hi fere appropinquantur morbis litorum Africae et Americae, ubi febrem flavam, pestem (Lind, Pugnoet, Tommasini, Despenettes, Larrey etc., inflammationes, gangraenam et ulcera ventriculi intestinorumque, sequelas horum morborum malignorum invenere; — Dict. des sciences medic. Tome 30) magnas edere strages, sat constat. (Schnurrer l. c.)

rumque remediis. Romae 1777.), epidemice grassari ac homines cujusvis ordinis, — non sicuti morbus noster, tantum rusticum, eumque ut plurimum sporadice, — nec non repentine, sed paullatim plerumque, infestare invenimus. — Insuper in hyemis asperae tempore omnes vires paludosae cessant, sed morbus noster at tamen tunc interdum gravis exoritur (Rinne pag. 16, 14.). Et ceteroquin minus detrimenti regionibus nostris putridi, quam humidi paludum vapores afferunt, quum aestas nostra brevissima et raro ita calida sit, quam in australioribus Europae terris.

Ut igitur ubique, ita apud nos etiam, natura certis, quas sequatur, legibus adstricta est et ex iisdem causis, ceteris paribus, effectus eisdem prodit! —

Domicilia Esthonorum. Nihil magis assentiamus iis, qui aërem saepius corruptissimum in rusticorum domiciliis, morbi causam esse existiment, (confer quod Baer de domiciliis Esthonorum narrat §. 10.) atque inexplicatum relinquunt, cur et infantes, ut plurimum domi morantes, et feminae, rebus domesticis curam gerentes, non saepius, imo rarius etiam, a malo nostro afficiantur?

Opinio mixta. Alii (Winkler, Rinne, Baer), ut certius ad linem, quo tendebant, pervenirent, omnes, quas attulimus, causas, prima tan-



tum. (piscario victu) excepta, esse morbi fontem judicant; ita scilicet rem certo investigari nec ullum errori locum dari, putantes. Sed jure quaeritur, num hoc modo carbunculi idiopathici origo explicetur; vel cur homines proreus sani in morbum repentine incidant, intelligatur, vel unde fiat, ut servientes in dominorum aulis, plures interdum numero, qui nec laboribus in palude quadam occupati sunt, nec tam in angustiis humidisque domiciliis habitant, nec tanto squalore confecti sunt, quam ceteri rustici morbo nostro implicentur, — perspiciatur. Quae omnia certe, in causis noxiis posita, paulatim corruptionem humorum, cachexias morbosque putridos, efficere possunt; cuius omnium temporum experientia docuit; nec in populo ipso Esthónico exempla, hanc opinionem probantia, desunt, quum multae nonnullis annis, victimae auferuntur. —

Morbo autem nostro, saepissime repentine illabente, repentinam etiam vim causalem praesumere licuit; quae observatio, aliorum morborum analogia adjuncta, si ad originem respiceretur, omnibus causis supra nominatis, ad multa etiam cum morbo conjuncta phaenomena explicanda, nondum sufficientibus, ad aliam opinionem deduxit.

Venenum in corporibus insectorum for-

matum. Insecta enim ex paludibus et stagnis, calido aestatis tempore orta, venenum noxium corpori humano inferentia, praesumebantur. Quae opinio, primo quidem adpectu, vera videbatur, quum et minores lacunas in morbo explicando relinqueret, quam omnes antea falso assumptae opiniones, et illud etiam respiceret, quod antea prorsus neglectum erat, scilicet cutis saepe localem tantum, semper vero repentinam affectionem. Sed, qui hanc sententiam ferebant, partim falsa opinione, morbum vulgo Skätt nominatum, ab insecto quodam (§. 13. a furia infernali L.) in aëre circumvolante, originem ducere, nixi sunt, partim, ut ex angustiis detraherentur, bestiolam, quam nemo antea viderat, nec unquam esse, audiverat, sibi fingere, conati sunt. Credere quidem possis, animal hujusmodi, e. g. vermiculum, per aërem vectum, in homines delabentem, in cutem eorum intrare et morbi nostri phaenomena efficere. Cur autem non locum magis idoneum in cranio, quod saepe quoque inter labores nudum est, quam in brachio vel manu, collo aut facie, sibi eligit? Certe semel tamen e carbunculi suppuratione evenisse, visum esset, quod eo verius argumentum contrarium apparet, quo magis in id ipsum medici et concionatores pagani nostri, ut animum adverterent, hortati sunt, qui ta-

men nunquam tale quoddam observarunt. — Vel etiam assumere possimus, bestiolam insectum esse alatum, in cutem volans, quod, deposito veneno, retro fugiat. Neglecta vero rusticorum incuria rerum fere omnium, nonnulli tamen interdum animal illud, in ludo ejus vel vidissent vel arripuissent. — Nam bestiola forte adeo parva est, ut propter exiguam corporis magnitudinem, forsitan oculorum aciem effugiat? Sed animal tantillum certe minimum veneni edere nec tam periculosa phaenomena efficere poterit; imo ne intrabit quidem in crassiorem cutem, quae in digitis est, ubi saepissime carbunculus occurrit. Quae dubia, etiamsi quocunque modo solvantur, tamen tum vel morsu, vel ictu bestiolae, repentinus quilibet sensus, praesertim quum nervosissimae et tenerrimae corporis partes (e. g. facies) afficiuntur, oriatur, necesse est, qui minime omni tempore animadvertitur; tum vero affectio quaedam localis, quamvis exigua sit, vel ante malum universale, vel cum illo simul appareret, quod in carbunculo symptomatico nunquam observatur. Quomodo in partibus internis, ut verisimillimum est, carbunculi originem; nulla cutis mutatione externa apparente, explicemus (§. 6. 15.)? Unde nunc temporis morbus in universum minus malignus videtur? Quod certe nullo modo a sola

mutata rusticorum constitutione effici potest. Quonam simplici modo carbunculum in lingua ortum explicemus? Cur non saepius, quam accidit, veluti ab ictu animalium, omnibus notissimorum (ut sunt vespae, apes, culices etc.) plures oriuntur vesiculae aut maculae, vel cur, plures si adsint, quod rarissime evenit, hae non aliae ab aliis remotae, sed plerumque proximae inter se apparent? Cur rustici pauperes magis saepiusque morbo laborant divitibus? Quodammodo etiam praesuntioni illi morbus interdum aspero hyemis tempore, repentine ortus, repugnat. Sin autem carbunculo contagium quoddam adhaerere credamus, quod nullo modo adhuc confirmatum est, haec tamen explicatio nobis nondum sufficiet. Unde praediorum domini morbo non laborant? An, si forsitan ponamus, insectum illud extra paludum aëris terminos nunquam egredi; sed unde rusticorum liberi morbo implicantur, qui minime in paludibus opera faciunt, non autem domini ipsi, qui saepissime loca illa adeunt, ubi momento temporis solo opus est, ut animal illud adoriatur?

Secale cornutum. Facile aliquis in opinionem veniret, a secali cornuto vel alia annona corrupta morbum gigni, praesertim quum nostrae regiones malis messibus quandoque vexentur et morbus, eo ortus, Smuckero teste (l. c.

Pag. 343.); in alia epidemia, aliam etiam formam assumat. Praeterea de illa morbi forma, quae in Germania multisque aliis terris occurrit, apud nos nihil sane audimus (Hupel. Top. Bd. 1. S. 565.). Partim igitur res omnes ac phaenomena, quae cum morbo nostro arctissime conjuncta sunt, hac opinione concepta explicare, partim etiam malas messes, quae in omnibus fere nostrarum regionum, partibus, nec in singulis tantum occurrunt, in morbi originem vim habere, concedere minime possumus, (quod ab ipsis habitatoribus paganis confirmatum est).

Itaque, uberiori causarum quae morbo nostro suppositae sunt, refutatione omissa, jam ad verum illius fontem transeamus.

Lues pecudum. Incredibilis rusticorum incuria rerum etiam facillime sub sensus cadentium, ad proximum earum connexum et ad usitatissimum ipsum in rerum natura praetermittendum prope ista, maxima deinde dominorum negligentia, quam salutem eorum, qui ipsis obediunt, saepius parvi aestiment, exiguum denique studium medicorum nonnullorum, quibus morbis rusticorum medendi cura demandata est et effectus saepe tardius causarum accessum subsequentes, — explicant fortasse, cur vera morbi causa adhuc nondum experta sit. Adde quod hominis natura ita inclinata est, ut ad res quo-

tidianas et in propinquo sitas cognoscendas, saepius paene caecus videatur et rerum adhuc inexplicatarum causas, raro tantum ex loco propius sito accipiat, sed plerumque fere a remotiori attrahat! —

Crebritas enim epizootiarum inter pecora herbivora, in terra nostra (J. B. von Gischer, Lief-
ländisches Landwirthschaftsbuch auf der Erdgegend von Lief-
Ehst- und Rurland, herausgegeben von J. G. Arndt. Halle 1753. Hüpel, Top. und ökonomisches Handbuch), his ipsis regionibus atque annis annique temporibus, ubi morbus noster viget aut vigere incipit *), qui violentius atque vulgarius, tempore epizootiarum apparet, crebriusque eos adoritur, qui aegrotis vel mortuis pecudibus saepius occupati sunt (ut ancillae pecuariae, pastores, detractoresque pellium pecoris morticini etc.), amborum etiam morborum

*) Quod percontationibus nostris a medicis, concionatoribus paganis rusticisque semper sat confirmatum est, tunc certe, quum carbunculus vulgarius apparebat. Anno 1756 v. c., quo lues equos vexabat, carbunculus etiam et quidem violentissime saeviit (Hüpel, Top. Bd. 1.); eodem quoque anno inter equas epizootia (Charbon-fèvre) in Finnia occurrit, quae hominibus ipsis tumores ac carbunculos attrahebat (Hartmann in: memoires de l'academie de Stockholm). — Interdum etiam, quum aestate antecedente lues pecudum saeviit, carbunculus denuo veris tempore apparet.

violentia, in uno eodemque loco diminuta vel semel omnino desinens, in rebus denique multis congruens, quaedam inter ambos ratio, nos attentos faciat, necesse est, ad conjunctionem amborum intelligendam atque arctiorem illorum connexum inter homines et pecudes opinandum.

Quaeritur inde, num causa illius rei ex uno fonte deducenda sit, an morbus alter ab altero pendeat et quonam modo ambo inter se connexi sint? Ad quod, experientia ducti, respondeamus: postquam epizootia jam aliquod tempus duravit multaque pecora jam ad ultimum morbi gradum evecata vel etiam enecata sunt, tunc morbus noster renovato vigore existit, pluresque homines plerumque adgreditur, quo tempore ipso plurimae victimae cadunt; quod modo citius, modo serius locum habet, prout conditio necessaria ab epizootia nata, jam aderat. Notissimum vero atque multorum seculorum observatione expertum est et a plurimis omnium temporum scriptoribus memoratum: quibusdam in epizootiis, animalium morbos, non ad pecudes alias solas, sed quoque ad homines transire eosque facillime invadere, qui aegrotis pecudibus multum occupati sint, curam vel medicamenta illis praebentes vel pecudibus mortuis coria detrahentes vel eas aperientes etc. denique, qui aliquo modo, partes in corpore bestiali morbo

vel defuncto mutatas attingerent, — saepissime in morbos malignos incidere, — quos non raro carbunculi, in corporis superficie erumpentes, concomitabantur *). Si reputamus porro, inter conditiones simillimas morbos nasci similes, — quodque facile inveniri potest ex historiis epizootiarum plurimarum (Dict. des sc. med. art. Epizootie), jamjam quodque haud nimis temerarium opinamur, in corpore bestiali, morbo certo laborante vel eo defuncto, mali nostri fomitem pari, verosimile redditur. Insuper jam antea in nostris regionibus, gravis epizootia judicabatur, si homines, munere bestias defunctas defodendi, fungentes, tumores malignos, quinimo mortem ipsamsibi contraherent. (Hupel, ökonom. Handb. Bd. 1. S. 311. Lyp. Bd. 1. S. 569.) Alii vero rem illam impugnabant, sicuti Hupel monet, unde fortasse denuo obliuioni tradita fuit; ceterum in-

*) Patre Kircher duce a. 1617 angina gangraenosa hominum, in homines transit. — Ramazzini epizoot splenicam a. 1690 in Italia saevientem, describit, quae homines quoque adorta est; similia adnotat. Buchner 1726 a. multis de regionibus Germaniae atque Poloniae. — Secundum Chaignebrun, in ambitu Parisiorum, epiz. splenet., in qua et multi homines enecati sunt, grassabatur. — Similibus exemplis veneni in corpore bestiali parati in homines transitus, annales medici diversae aetatis scitent. — Nec negligunt poëtae grandaevi (Homer. Virgil. Ovid etc.) hanc rem.

fectio haud sat celeris indeque non perspicua semper fuisse potest. Sed magis ac certius haec nostra sententia experientiis pluribus*), nobis ipsis cognitis, confirmatur, in quibus infectio a bestiis morboris ac defunctis extra omnem dubitationis aleam posita erat. — Nonne omnino maxime mirandum est, quod nostris regionibus nihil de morbis, originem a viro ad homines a bestiis transeunte, ducentibus, auditur, quum tamen adeo frequenter devastentur regiones nostrae ab eptzootiis, in quibus rustici nimis socordes, incaute ac negligenter corpora bestialia morbosa et morticina tractant, — dum in alienis jam longe eo attentis facti sunt.

Sic experti sumus relationum inter epizootias nostris in regionibus saevientes et malum

*) Medicus veterinarius quidam germanicus, quum cadaver aperiret pecoris lue bestiali defuncti, digitum scalpellulo vulnerabat, quo loco laeso carbunculus noster effloruit.

Toparcha quidam spectabat, quomodo defoderetur pecus suum defunctum; ob angustias foveae, cadaveris extremitates posteriores dissectae sunt. Rediens domum, temulentiam, lassitudinem, anxietatem etc. sensit; horis nonnullis praeterlapsis, carbunculus in digito erupit (an ichore adpersus fuerit vel aliquid venenati attigisset, non sat beneque distingui poterat). Ambo viri, munere defodeudi fungentes, etiam a carbunculis corripiebantur, et ob auxilium deficiens, peribant. — Et multa alia similia,

hic descriptum, nec non conjunctionum inter ambo atque momentum causale carbunculi nostri, in veneno quodam, tum in corpore bestiali morboſo, cum defuncto, parato, fortasse praepriis in ulteriori, invenimus.

Morbi bestiales plurimi, vi inficiendi praediti, plus minusve in homines transferri *) iisque morbos multifarios malignos impertiri possunt; atque hac ratione modo illum, modo alium in corpore humano gigni observamus morbum; quod nos eo perducit, ut diversum virus statuamus nec non diversum morbum ipsum, in quo productum fuit. Ideo summo cum jure in morbo nostro quoque virus postulamus in peculiari quadam epizootia procreatum et igitur pro primo accuratius praefiniamus, necesse est, quinam morbus bestialis modo enzootico regnans, scintillam morbi nostri occultet? Qua de re vero observatio docuit, hunc esse luem quamdam inter equos **) (*Muhho többi* — apud Esthonas —

*) Doctor Paulet inter nonaginta duas epizootias circiter, quarum historia mentionem facit, viginti unam in homines migrasse adnotat, et Boniva adfert, inter viginti, quae in Italia ac Sicilia grassabantur, octo fuisse, quae homines infestabant.

**) Ubique in nostris regionibus lues haec periculosissima habetur atque plerumque spem, pecora correpta jam, sanandi, non relinquit. Morbus sese exserit immo-

Beulenseuche), quae sane quandoque et in alia corpora bestialia transit, in boves, sues, anseres et gallinas. Non judicare valemus, num morbus hic bestialis nil nisi sit epizootia splenetica (typhus charbonneux Franco-Gallorum) (Vide Weith's Veterinärkunde. Wien 1817. Bd. 2. S. 136. et compara §. 1. §. 11.) climatis, vi, terrae conditionibus, pecorum naturae diversitate, modificata, quae in aliis terris, inter homines procreare solet morbos affines, et conveniat cum epizootia pulmonali (Lungenseuche) *) in

ribus diversissimi ambitus, ut plurimum in regione inguinali, in latere infimo ventris versus crures, quique brevi prorepunt ac gliscunt, nec raro ad collum usque proserpunt. Massa gelatinosa, flavido-alba repleti sunt; temperies ac color non divergunt a naturali; si aperiantur mors saepe brevi subsequitur (quod et in epiz. splenetica observatur; AusPach auf Grünfelden, Praktische Beob. von den Herdeseukheiten u. s. w. S. 67.) Morbo sibi commisso, mors plerumque repente bestias, saepe adhuc laborantes, invadit:

Concidere infelix validos miratur arator

Inter opus tauros; medioque recumbere sulco. (Ovid.)
Ceterum rustici contendunt, nil a statu normali aberrantis, animadverti.

*) Et sub finem hujus morbi tumores quandoque accedunt; insuper Kausch (Haicland's Journal Bd. 33. Et. 3: u. 4. 1811.) mortis morbi splenetici causam quaerit in pulmonibus, quos in eo semper nigros, collapsos, molles et gangraenosos invenisse, profert; monet praeterea Am-Pach (l. c. pag. 39. et in ejusdem: die Lungensäule und Lungenseuche d. Horgviehs S. 160.) morbum

-Esthonia omnium epizootiarum saepissime occurren-
 -rente, nec non sat saepe, ubi morbus noster vi-
 -gere solet,—quae fortasse in equo, bestia ista forti,
 -saepe praetervisa, tunc primum cognoscitur,
 -quum, tumoribus surgentibus omnis fere spes
 -servandi, jam perdita est; vel nonne utraque
 -lues, quum si ponas diversitatem, morbum no-
 -strum progignere posset? Quum primo ne-

spleneticum saepissime ab epizootia pulmonali stipari.
 Am-Pach (d. Lungenfäule, d. Lungen u. d. Milchseuche
 des Hornviehs, ihre Erkenntniß, Heilung und Vorbauung.
 Pesth 1819.) porro adfert, in epizootia pulmonali virus
 quoddam etiam produci, quod nimis cadaverum mani-
 pulationibus, hominibus diversissimos morbos cutaneos
 aliosque attrahit.

Cadavera aperta similes referebant fere mutationes,
 in morbo spleneticum, quam in morbo equorum Rossiae
 (Herrmann's Beiträge Bd. 3.), qui illum nostrarum re-
 gionum maxime aemulat. Partes mucosae ac organa ab-
 dominalia cellularia inflammata, hic et illic maculis gan-
 graenosis obsidentur. — Nonne fortasse res haec eodem
 modo se habet, quo in typho hominum, ubi virus con-
 tagiosum unum idemque modo cerebrum, modo pulmo-
 nes, modo organa abdominalia prae ceteris occupat (R.
 Wolfart d. Fausstieber § 98.); qua ex sede, species oriun-
 tur morbi, revera ab initio inter se non diversae.

Quocumque vero modo similitudo diversitasque illa
 sese habeat, attamen epizootia haec, inter equos praeser-
 tim grassans, nobis idem morbus videtur, quem, in for-
 ma sua, terrae et climatis vi modificatum, alibi epizoo-
 tiam vocant spleneticam. — Omnino mirificum est, unde
 veniat, ut in nostris regionibus, causis sat superque prae-
 sentibus, de epizootia splenetica nil audiat. —

cessariis has supra res caremus cadaverum sectionibus, omnino quoque morbi bestiarum, praesertim epizootici in occultis latent. — Rusticorum sententiae hac de re neuti- quam satisfaciunt et ipsi fundorum domini eruditi, quorum cura maxime empirica in tractandis morbis pecorum perquam vituperanda, rem illustrandi impares sunt; atque medici veterinarii omnino nostris regionibus desunt. —

Quaeritur porro, qualis naturae sit virus in lue illa creatum? — Plus minusve quocumque in corpore vel vis dynamica, (ideal) vel vis somatica (real) praevalet, secundum quod potentiam illius atque dignitatis ordinem, inter corpora summatim assignare licet. Hac ex sententia quodquod virus vel *volatile* vel *fixum* appellamus, prout alterutra praedominet vis. Quem in locum nunc virus notatum, morbum nostrum procreans, rite collocari et quomodo idem appellari oportet? — Jam ex ea observatione, quod tantum ii, qui pecorum partes affectas, morbosas vel mortuas attigerint, neuti- quam vero toparchae talesque viri germanici, qui manibus suis ab ejusmodi rebus rusticanis ab- stinent, illo corripuntur; quod porro virus omnino aëre nec excipi, nec ab illo propagari videtur; dein quoque ex genesi sat cognita, morborum affinium in aliis terris, qui ex ipso

contactu partium bestialium corruptarum, vel fluidarum vel solidarum nascuntur, — sat late patet, virus morbum nostrum producens, fixis esse adnumerandum. Quamque sententiam experientia a Guersent facta, plus adhuc confirmat, quae morbos bestiarum vel maxime contagiosos, nunquam absque adtactu immediato in homines transferri posse, docet.

§. 9. Quum sic verisimilem reddiderimus fixam veneni naturam, facile est et vias proponere, quibus virus corpori inseriatur. Duo nobis hic patent viae modi, ope ciborum, carnis alienatae lactisque, praecipuis per os in stomachum vel adtactu corporum venenatorum aut viro ipso per cutem.

Atrium morbi per ventriculum. Sane negare non possumus, via hac corpori humano virus impertiri, nisi sequentibus sententia illa refutaretur: quod indigenarum victum praecipuum panis, pulmenta, lac et ex parte pisces sistunt, et quod raro tantum carne fruuntur (Baer p. 38.). Pecora, quae sibi educant, ut plurimum ad labores perficiendos vel alimenta praebenda, servant, rarissime, tantum fere rusticus ditior, quotannis sibi unum aut nonnulla ad summum capita pecudum mactat, partim ut ipse iis utatur, partim ut invehendo in urbes vicinas, ex iis lucrum adipiscatur. Attamen alieno tempore

pecus morbosum, cujus salutem rustici desperant, mactandi cupido eos incessere posset; — quod vel statim consumunt, vel in futurum asservant, vel ad urbem deducunt. Caro vero statim consumenda, coquitur, et neutiquam incocta comeditur, qua autem coctione certe vim suam inficiendi amittit *); asservata sale conditur, dein vero eadem ratione paratur et consumitur; — pars vero in urbes evecta, ibi saepius, si vi inficiendi polleret, morbum nostrum saltem iis, qui imparatam attingunt, induceret, necesse est. Pecora autem defuncta, quibus forte prae-

*) Observationes nonnullae confirmant, ad tactu carnis recentis bestiarum certis pestilentibus laborantium et hominibus morbos pestilenciales imperari posse, dum caro cocta facultatem hanc amisit, ideoque sine omni noxa edipotuit *Memoires de l'academie de sciences 1776.*) Omnino cocturae magna tribuenda vis destruens, quum secundum *Vicq d'Azyr* ne substantiis quidem chemicis, acerbis, semper vero coquendo, destructum sit virus. — Quod etiam physicus *Arcazi* de Milan magno numero factorum epizoot. a. 1714. regnantis confirmat. — *Hazardio* monente *Extrait d'un rapport, fait à la société de la faculté de Med. de Paris A. 1814 sur une epizootie meurtrière a. d. s. — redigé par F. V. Merat. Paris 1814.*), exercitus foederatus Parisus et in ambitu ejusdem oppidi, per duos menses et quod excurrit, carnem bestiarum morbosarum, sine ulla noxa consumebat. — *Wunder d. Natur. Bd 1. Verciq 1782.* — ad tactu carnis depravatae semper carbunculi oriebantur, dum esu nullum allatum fuit detrimentum (*Morand et Duhamel*).

cipua producendi carbunculum, vis insit *), ab iis haud eduntur, quod gentis superstitio communis avertit. — Omnino morbus saepius uno in tempore, una in familia, uno in pago, frequentius apud rusticos diuites et hyeme (qua majorem consumunt carnis copiam, quam aliis temporibus anni) et pariter saepius in una familia etc. si et lactis **) usu, quod adhuc dubium est, morbus propogaretur; aequae demum infantibus et mulieribus ac hominibus vegetis, virilibus obuius esse deberet. Deinde virus praeprimis ac primitus in epizootia equorum gignitur, quibus defunctis, rustici quamvis nequam esu, bene tamen utuntur. Insuper saepius jam in initio carbunculi symptomati affectiones inflammatorias vel alias turbationes abdominis, animadvertere oportet, quas creberrime his sub conditionibus aliis in terris vides (Bertin in Guadeloupe, Schenkius in histor. gen.

*) Secundum observationes medicorum Franco-Galorum homines pecoribus morbidis et viventibus, ad tactum non inficiuntur, nisi malo „pustule malignae“ aut „fièvre charbonneuse“ laboraverint, dum bestiis *mortuis*, etiamsi aliis morbis enecatae essent, facile invaduntur.

**) Genevae medicinam facientes, in epizootia (Glossanthrax) decrevere, lac vaccinum a bestiis morbo, non esse noxium. In genere omnes pecorum morbi, in quibus lac ac caro nocere, ad pestilentiales, malignissimos, sub coelo aestuo meridionali ortos, pertinere videntur.

Cap. 11. Paulet in recherches histor. et physiq. sur les malad. epizoot. Paris 1775. — Barberet in Minorca (Memoire sur les malad. epidemiq. des best. Paris 1766.) Enaux et Chaussier. Brasier. Am-Pach (Lehre von den Heerdekrankheiten u. s. w. S. 39.) etc.) Idem observatur in aliis bestiis, quae partes depravatas bestiales, in epizootiis consumunt; — succedunt semper statim post esum, inflammationes cum spasms validis, gangraena intestinorum et mors (Gioann. Brugnone. Buniva et Desplas (Dict. d. sc. m.) Am-Pach (Lehre von d. Heerdekrankheit u. s. w.) etc.). Quum hisce addimus adhuc sententias scriptorum, — num caro bestiarum epizootice aegrotantium noxia sit, an non, — maxime inter se discrepare, nobis luculenter patet, virus per atrium nominatum non intrare in corpus humanum. Neglectis vero omnibus illis, attamen caveamus, donec, quod verum enucleetur, ne in praxi, ventriculi sensibilitatem plane negligamus vel nimis expedite consideremus.

Atrium morbi per cutem. Ergo eo perducimur, quod cutem unicum esse organon credimus, quo semper vel plerumque excipitur virus, vel statim ciens morbum localem vel ab humorum massa susceptum, affectionem universalem antea gignens. Jam quia carbunculus pluries paulatim in cute efflorescit (carb. idiop.)

absque omnibus affectionis cujusdam aliorum organorum signis; quia adeo frequenter apparet in partibus, quas rusticus denudat, — (nam experti sumus, malum oriri in digitis hominum, qui pecora defuncta defodebant,); — quia morbi affines eodem atrio in ipsa sc. cute, ad tactu veneni nascuntur; quia insuper verosimile redditum est, virus neutiquam per stomachum, atrium unicum alterum, in corpus migrare, nobis sat clarum videtur, nullo nisi cutis organo virus corpori admoveri.

§. 10. Morbi tandem causâ ejusdemque atrio inventis, porro investigare si velimus per quasnam partes infectas, virus verosimillime propagetur, magis analogiam quam certas observationes nostris in ditionibus factas, sequi debemus. Sed haud, uti videtur, a veritate aberramus, si *praecipue* partes animales omnes, ut veneni conductores accusemus, praesertim vero: corium *) bestiarum ab indigenis adhuc

*) Quam saepe indigenus Esthonus, nullo ordine ad-suetus, periculum ignorans, pecus morticinum profunde in terram de more negligat, unde canes, lupi etc. cadavera denuo deprendunt, necesse est; imo haec in sylvas vel in loca non longule dissita projicit, quin ea obruat. Atque ad eum usque gradum nonnunquam lucri cupedo procedit rusticorum pauperiorum ipsorum, ut bestias jam defossas denuo effodiant, iis corium detrahant et si equi erant, so-

rude ad calceos consumptum (Passid); excrementa, certis in regionibus manibus in agros stercorandos, sparsa (Enaux et Chaussier in Gallia aliisque terris); pilos ac crines, quae non secus ac omnes mali caloris conductores, virus portare ac servare valent (Enaux et Chaussier in morbis affinis); plus minusve omnes humores bestiarum, praepremis vero laticem illum in tela cellulari, in forma tumorum subter corio exsudatum.

— *neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma;
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.*

Virg. Georg. L. III.

Nonne etiam omnia utensilia et res, quae in contactum venerint cum partibus infectis animalis morbidi vel emortui, fontes infectionis

leas ferreas deripiant a). — Exinde forsitan explicatur *partim*, quam post longum temporis spatium, etiam alieno tempore, morbus in domo quadam rustica exoriri possit. Ceterum omnino nondum demonstratum est, quamdiu virus ejusmodi facultatem retineat inficiendi b).

a) Hoc pacto et in aliis terris similes morbi oriri videbantur (Brugnone).

b) Vicq d'Azyr ichorem veterem bestiae typho mortuae non solum efficacem adhuc cognovit, sed etiam inficiendi facultatem diutius in hoc, quam in recenti seruari animadvertit.

nominari mereantur? — partim observationibus hac de re institutis caremus, partim natura morbi epizootici adhuc in tenebris latet; — ei saltem aliis in terris (Enaux et Chaussier — Thomassin — Petit in morbis affinibus) attentionem adhibuerunt. Nonne et insecta nominanda essent inter veneni conductores, quae tantum ratione sententia de veneno tradito per ictum insectorum accipienda esset?

§. 11. Explicatis jam, quae dicenda erant de origine morbi, de modo infectionis et propagationis veneni, explicatio omnium morbum concomitantium phaenomenorum rerumque accessoriarum, quae hucdum non explicata erant, facile apparet. — Intelligimus nunc, quae ex causa creberrime morbus exoritur in regionibus paludosis *) et nemorosis**), quum ut plurimum nempe tales regiones sunt, quae secundum sententiam veterinariorum momenta praebent causalia plurimum epizootiarum (Vide hac de re E. Beith's Handbuch der Veterinärkunde u. s. w. Wien 1817. S. 383 u. 458. Bd. 1. u. Bd. 2. S. 136. Dict. des

*) In pluribus ceterum paludibus animalia pascunt (Hupel Top. Bd. 1. S. 22.).

**) Multa ligna in sylvis putrescunt (Baer l. c. p. 61.); praeterea plurimae et extensissimae nostrarum regionum sylvae patent super paludes (Hupel Top. Bd. 1. S. 96.).

sc. med. art. epizootie); — manifestatur nobis, quomodo morbus in locis, ubi terrae cultura jam altius provecta, sylvae magis collucatae earumque frequentia imminuta, paludes et aquae stagnantes exsiccatae sunt, sensim sensimque cedat, nam et frequentia epizootiarum evanescit, quum loca fiunt salubriora; — audimus, cur nunc morbus omnino rarius observetur, quia et epizootiae rariores factae sunt (Fischer's Landwirthschaft. Suppl. Top. Bd. I. S. 575. u. Nachtrag S. 83. Bd. II. S. 83 und Nachtrag S. 30.), quo ex fonte omnino variae mutationes, quas morbus nunc ratione priorum temporum ostendit (vide introitum), derivandae; — invenitur explicatio, quamobrem in variis regionibus morbus variis temporibus majori ex parte existat, quia nempe alius locus alio tempore lue pecorum vexatur (sic et Hoepfner durante epizootia in Germania pustulas nigras, tempestate humida et sicca, aestate et hyeme, oriri videbat (E. G. Baldinger's neues Magazin für Aerzte. Leipzig 1786. Bd. 8. St. 6.) et sic morbus pecorum, a quo carbunculus affinis (pustule maligne) originem ducit, ducibus Enaux et Chaussier (Orfila Toxicologie von Brose. S. 110,) inter tempestatem humido-frigidam in regionibus paludosis, grassatur; — teste Thomassin vero (Schnurrer l. c. pag. 503.) post calidam continuam tempestatem,

occurrit); — intelligimus quomodo feminae, quae rem domesticam gerunt, infantes adhuc infirmi, nec non senes, qui vel leviora opera domi faciunt vel plane nulla, neglecta minori eorum receptivitate morbose affici, rarius, lactantes vero nunquam a morbo nostro corripiantur, — quum minus sint expositi rebus illis noxiis, — juvenes vero et homines ad laborem alacres saepius; — porro cur toparchae nec non germani hic considerantes, nisi magnopere et intime rem habent cum rusticis vel eorundem officiis una cum illis funguntur, malo haud feriuntur; — non amplius latebit, unde morbus non saeviat in multos pauperes oppidorum, — quum hic rarissime occurrunt lues bonoque ordine carniū inspectio et salubria pascua summae sunt curae, nec non ut pecora aegrotantia diligenter citissimeque separentur a salvis vel etiam necentur, quomodo mali propagatio inter pecora prohibeatur, rariorque reddatur infectio hominum et auxilio, quatenus fieri potest celerrime allato, malum oriens compescatur; unde ad plurimum carnifices in oppidis hoc morbo aegrotare animadvertuntur, — praeterea conditiones, quibus epizootiae exoriri possunt, rarissime inveniuntur. — Constat nobis, quare insularum propin quarum incolae (Dagden, Oesel etc.) plane ignorent morbum, quia

ibi epizootiae non occurrunt, saltem non epizootia ista (Beulenscuche); non amplius mirari debemus, frequentius morbum grassari inter pagorum incolas, quam inter dominorum servientes in aula, — frequentius infestare rusticos pauperes quam divites; — epizootiae nempe inter pecora crebrius existunt in pagis quam in dominorum aulis (Fischer's Naturgeschichte. S. 3.), saepius inter pecora rustici pauperis quam divitis, quia ille magis negligit curam animalium suorum. — Explicari nunc potest, qua ex causa affectio localis adeo frequenter adspiciatur in partibus denudatis, frequentissime in digitis, nec non alia phaenomena facile colligantur e praecedentibus. — Facile quoque occurrimus quaestioni, cur inter rusticos Esthoniae tam frequenter morbus adsit: respiciamus solum rusticum, pauperem ut plurimum, in quam arcta conjunctione cum pecore aegroto vivat, spe adductus ut id sibi servet, — quam incaute agat cum rebus, quae ad aegrota pecora pertinent, vel ab iis, eorundemque partibus affectis tanguntur, minime periculum praesentiens; cogitemus copiam corporum, quae virus ad alia transferre queant; — recordemur inter rusticos Esthoniae carere, quorum officium sit, mortua pecora obruere, uti in aliis terris; rationem denique habeamus frequentiae epizootiarum (Fi-

(scher's Landwirthschaft), — non difficile mehercule! responsum erit, — neglecta etsi dispositione, — nec aliam causam inveniemus, quod frequentiam et crebritatem morbi nostri miremur *). (Vide §. 10. *)

§. 12. *Producatne morbus noster contagium an non?* Si non agendum esset cum magna socordia et minima observandi facultate rustici, qui plerumque quaestionibus hunc in finem propositis incerte et dubie respondet, idque verbis: „quod Deus sciat!“ jam dudum res illustrata fuisset. Experimenta, quae probarent sententiam, cum ichore in carbunculo secreto, nondum instituta sunt. Wilde et Winkler omnino negant vñm inficiendi, quamquam sine argumentis, Rinne concedit illam, sed tantum immediatim per contactum, etiam Hupel **) (Zop. Miscellan. ***) et merito quidem, ut opinamur, quum sequentem respicimus observationem: in vicinitate ve-

*) Praeter, quae in aëre soloque versantur, vires enzootias producentes, — exigua cura, quam impendunt rustici in bestias, maximaque eorum negligentia (Hupel Zop. Bd. 1.) respicienda est.

**) In summa saevitia carbunculus quam levissime inficiebat.

***) Aqua effluens interdum alios inficit, eoque in loco quem tangit, carbunculum producit novum.

siculae vel maculae primitivae interdum, quando ichor perfectus jam effluxit, vel dum illae jam in ulcus transgressae sunt, aut etiam in loco remotiori, — alteram vel tertiam, oriri invenimus. — Notum nobis est insuper exemplum, quod in una familia carbunculus tres homines adoriebatur, ita quidem, ut vel brevi ante vel mox post mortem alterius — omnes enim perierunt — in altero carbunculus visus est. Objici fortasse potest, quod omnes tres sese exposuissent potentiis nocentibus iisdem, quae morbum gignere oportere, — attamen ordinem, quo carbunculus ortus est, miremur, et tantum putari licuerit, vel causam influentem eodem illo ordine in illas tres vim suam exseruisse, vel uno eodemque tempore et dein sine effectu manifesto diutius in corpore alterius mansisse, tunc demum quemque ordine sic miro prodixisse, quod utrumque haud verisimile nobis videtur, — probabilior vero veneni translatio ab altero ad alterum. Rinne praeterea, quod repetitis observationibus sibi exploratum habet, si alter conjux morbo affectus fuisset, et alteram mox eodem morbo aegrotasse, — confirmat. Occurrit denique exemplum, quod docet, peregrinos mox a morbo affectos esse, dum pagum frequentabant, ubi tunc temporis carbunculus noster grassabatur, quamvis rustico-

rum officia neutiquam participabant. — Frequentius omnino observetur necesse esset, quando manifeste illato ichore carbunculus exoriatur, nisi ad impedimenta supra designata etiam illud accederet, quod magnopere metuunt rustici ichorem effluentem, cuius causam amplius aperire nequeunt. An vero haec vis inficiendi semper *) (vide §. 12. ***) adsit, vel nonnullis tantum conveniat speciebus, — dijudicare non auderemus. Utcumque vero res se habeat, tamen carbunculo vim inficiendi tribuere, rationibus supra nominatis rem verisimillimam reddentibus inducti, non dubitamus, virus vero arcto contactu egere et praeterea sicuti alia contagia, ad tempus certum tantum vim inficiendi servare, sat manifestum est.

Quodsi conjectura nostra vero nititur, novus nobis aperitur fons, ex quo propagationem mali derivare possimus. Hic forsitan quoque Wildei sententia: malum in regionibus paludosis perniciosius esse hominibus, illustrari potest, eo modo, ut virus in bestiarum corporibus progenitum, aliud sit et vehementius, aliud vero et non tam noxium, natum in

*) Morbus affinis „pustule maligne“ modo facultate gaudet inficiendi, modo non (Enaux et Chaussier, Bayle, Thomassin.

corpore humano; — illis autem locis paludosis inest fons veneni (a pecoribus), quo fit, ut majus afferat morbus periculum, quamquam his regionibus praedominantes aëris vires tales jam esse, quae quemcunque morbum augere queant, negare non possimus. Hic quoque ex parte explicari liceret, quod observatum est, morbum nostrum ab altero ad alterum procedentem, jam extinctis epizootiis, per totum annum sporadice manere, quum alibi, ubi bonum ordinem et munditiam magis colunt, rarius illud animadvertitur, quamquam altera ex parte, multae illae res, quae virus ducant (a pecoribus) forsitan, rem illustrent. Nonne etiam, quod virus ab homine ad alterum traditur, ad diversitatis, quae inter formam intercedit carbunculi, explicationem confert? Nonne etiam major morbi malignitas, epizootiarum tempore, quo ex ipso fonte virus ad morbos procreandos valet, hoc modo explicetur? Haec vero res, ut rite dijudicetur, summa cura et industria per annorum seriem experimenta instituamus et variis temporibus circumspicte illam observemus, necesse esset. — Huic contagio, cujus verisimilem fecimus praesentiam, locum assignare cupientes, ita concludimus: quodvis contagium, quo intensius, idealius, vigentius sit, eo minus adhaeret substrato cuidam materiali conspicuo,

sed atmosphaeram sibi eligit, tanquam vehiculum, eo major et illius virium campus, eo magis ex se ipso pendet (selbstständig) ac influentiis aëris ceterisque resistit (v. c. contagium febris pestilentialis, typhi contagiosi, variolarum, scarlatinae etc. — contagium ad distans, volatile); e contrario vero cohaeret cum certis excretis corporis aegroti, vel solidis vel liquidis substantiis (cum pure, ichore, saliva etc.) tuncque effectum suum tantum exserit translatione materiae peccantis (v. c. contagium scabiei, carcinomatum et syphilidis etc. — contagium per fomitem, fixum, permanens) faciliusque deletur ab aëre. — Difficile non est, quum contagium nostri mali (in corpore humano genitum) in ichore carbunculi exoriens, per contactum efficax designavimus, huic inter duas classes generales locum suum notare, nec quisquam erit, qui sporadicitatis morbi nostri insuper memor, hoc contagium tantum fixum, habendum esse, negaret.

Itaque utrumque morbi nostri virus ut in corpore bestiali ita et in humano exortum, illud habet commune, quod venenis fixis adnumerandum, etsi discrimen inter illa, quamquam pertinerent ad unam venenorum classem generalem, negari non potest, si forte quoad intensitatem, quod jam a priori secundum diversita-

tem organismi bestialis et humani statuamus, necesse est.

§. 13. *Morbi similes affinesque.* — Quis adhuc est, qui, quum tam universalis est fons morbi nostri, de similibus morbis aliarum regionum loqui audire erroremque, quod morbus tantum in Eksthonia animadvertatur, evanescere videre miretur? — Quum vero omnis viventis est character, ut pro diversitate momentorum agentium aliam excipiat formam, itaque etiam praeter similitudinem, quam morbus noster cum affinis aliarum terrarum suppeditat, multifariae sunt exspectandae et praesumendae varietates. Nonne enim constitutio argenti Europaei ad polum horridum differt a constitutione sub meridie fervente viventis? Sed nonne vero etiam coelum illud asperum polare omniaque sub eo exorta, valde differunt ab ardente coelo meridiei? Vita aliam excipit formam, et, ut diversitates in zonis diversis existunt, ita et ipsa ostendit diversitates et a vitae forma — quis neget? — plus minusve natura formaque morbi dependet. Hanc diversitatis causam, qua morbus noster similibus vel appropinquatur vel amovetur, pro illa etiam habere debemus, qua corpus bestiale omniaque ab illo producta permutantur. Anni tempus ejusque constitutio, vitae genus, morbum permutantes

variae curationis methodi, diversitas epizootice affecti bestiarum generis et aliae res sunt, quarum praecipue ratio habenda est, quaeque fortasse nonnulla contraria ac diversa in hypotyposi morborum affinium ab hoc vel illo auctore depictorum, nobis explicant. —

Hanc secundum rationem omnes morbi affines, uti nobis videtur, colligendi et comparandi sunt, quamquam in casu quodam speciali individui aegrotantis, alia etiam accedant momenta. — Tamen varietas ipsa horum morborum, quos affines existimamus, haud sane praetermittenda nec pauculis verbis depingenda est, nobis vero sufficiet morborum illorum affinium, pro alienis morbi formis, habitorum mentionem fecisse eosque hic, ne nimis a scopo nostro aberremus, tantum brevissime adnotare.

a. Carbunculus Fennicus. In vicinia paludum extensorum et in uliginosis incultis ad sinum Bothnicum sitis regionibus, praesertim in conditionibus urbis Torneae Laponiae, rarius in ceteris Sueviae regionibus, homines et bestias subito a carbunculo quodam, nostro persimili sed citius decurrente, quotannis fere, veris, praesertim aestatis quin etiam hyemis tempore corripit, animadverterunt (D. Chr. Solander in Nov. act. societ. scient. Upsal. 1773. Vol. I.

pag 44 sqq.), qui morbus ab indigenis „*Öfätt*“ (Öfuß) nominatus, praecipue in partibus corporis aëri expositis invenitur. Solander insecto in cutem ingresso, causam morbi adscribit, quod Linnée (System. natur. edit XII. Vol. II. p. 1325. Amoen. acad. Vol. III. pag. 322.), insecto exsiccato perspecto et systematice ordinato „*furiam infernalem*“ (*Jurie*) nominavit. Linnaeum autem errasse et totam rem vanam opinionem esse, tum Müller et Blumenbach, cum nuperimi Sueciae physici probant, quum morbo adhuc persistente et cuilibet cognito, insectum illud nusquam, nec in Suecia nec alibi inveniri aut videri potuit. *Thrombum*, nonnunquam in carbunculo inventum, pro illo insecto habitum esse, isti viri credunt. — Secundum vulgi opinionem morbus ex fascinatione gignitur et contendunt: a Lapponibus crines bestiarum conglobatos, quos „*Tyren*“ vocant, per aërem emitti, quorum nonnulli, imperante mago, morbi efficiendi causa in cutem hominum et bestiarum penetrarent. Nonne verisimile hoc vulgocreditum mythice in veram innui causam, quae novissimis temporibus oblita et a falsa Solandri opinione depulsa est? Hunc carbunculum Fennicum cum nostro carbunculo eundem fontem habere satis constare nobis videtur, si tum pecorum lues crebras in paludosis Finniae regio-

nibus (Neue nordische Beiträge. Bd. 1. S. 126.), cum etiam id respiciamus, quod incolae grassante epizootia (Beulenfeuche) (Lerche. Neue nord. Beitr. Bd. 1. — Ellisen 1798 u. 1807. О желвакахъ или сибирской язвъ. Санктъ Петербургъ 1808.) maxime carbunculo laborant, quem Lerche ex aegrotis bestiis acceptum esse, observavit.

b. *Carbunculus Polonicus.* Sine dubio ex observationibus et experimentis Doctorum Kausch (Hufeland's Journal. Vol. 33. St. 3. S. 63. St. 4. S. 44.) et Brěnsky (Horn's Archiv. Neue Folge. Jan., Febr. 1811.) satis elucet, hunc morbum inter adcolas singularum palustrium et humilium regionum Poloniae et Borussiae grassantem et ab ipsis incolis „*Czorna Krostka*“ nominatum, per infectionem ex putridis partibus pecorum, epizootia splenetica plerumque laborantium jamque defunctorum, ortum, ideoque etiam pluribus aliarum terrarum morbis affinem esse. Quorum virorum observationibus etiam hypothesis a Mathy (Briefe über Gegenstände der Therapie. 1 Thl.) tentata, morbum ex ictu insecti cujusdam oriri, satis confutata est.

c. *Carbunculus Batavus.* In ditionibus quibusdam Frisiae carbunculi species, morbo gallico „*charbon malin*“ persimilis, observata est, qua rustici ex incauta tractatione et sec-

tione pecudis morbo „de Vyvel“ (Seyfel, — Gift, — Genyn; — Beulenkrankheit) laborantis vel defunctae, afficiuntur. — Hunc morbum in equis Linnée (Amoen. acad. Vol. 3. pag. 322.) etiam ex ictu furiae infernalis natum esse, affirmat (Vide quod Veith in l. c. Bd. 2. S. 136. de insectorum ictu ceu causa epizootiae spleneticae profert.). Cultura regionum paludosarum sedulo adhibita, morbus ipse rarius factus est (Beckmann. — H. G. Camper's Abhandlungen. 1787.)

d. *Carbunculus Germanicus*. Inveniuntur carbunculi in singulis paludosis humilibusque Germaniae regionibus, quos epizootia splenetica vel aliis pecorum laibus grassantibus evolvi et ex veneno bestiali, in illis sc. morbis procreato, nasci, jamdudum multi probavere. Ab indigenis rusticanis nominatur „schwarze Blatter.“ (E. G. Baldinger's neues Magazin. Bd. 3. 7. 8. 10. — Goettinger gelehrte Anzeigen 1793. Pag. 165. — Höpfner's medicinisches Wochenblatt 1785. — Wunder der Natur. Leipzig 1786. Bd. 1. S. 105. — Hufeland's Journal. 1818. Bd. 39. u. f. w.) —

e. *Carbunculus Hungaricus*. An morbus „Pocolwar“ (F. von Schraud, Nachrichten vom Schaarbock in Ungarn im J. 1802. Wien 1805), qui inter adcolas Tibisci fluminis versatur et ad formam externam carbunculo nostro similis est,

cum eodem etiam ex eodem fonte manaret, incertum esse, invenimus, quamquam cum carbunculo nostro sub iisdem conditionibus fere externis adpareat. Sane Hungaria praesertim terra est, luibus pecorum vexata et Cober (Observat. castrens. et hungaric. Dec. III. Francof. 1604.) non solum paludes et aërem nebulosum sed quoque usum carnis vervecinae et bubulae accusat ut morbi causam. Brensky (l. c.) morbum carbunculó Pocalwar similem observabat in palustri circulo Sochaczewero inter pauperes rusticos epidemice, exeunte autumnii tempore post fervidam aestatem, bis exortum esse, causam originis adscribens usui carnis aegrotarum bestiarum.

f. Carbunculus Sibiricus. Hic morbus in Sibiria praesertim inter Obim flumen et mare Caspium per vastas et salinosas planities endemicae inter bestias et homines grassatur. Praeter ceteris locis autem valles montium Uralium, deserta Ischimica et Barabinica, magna planities catervae Kirgisiorum et regiones per litus fluminis Irtisch, interdum etiam regiones Obis et Wolgae fluminis vexantur. Inter omnes has regiones morbus praecipue in ripis fluminum restagnantium et in ipsis humilibus paludosisque locis saevit. Quamquam aestas fervida morbi ortui faveat, tamen ipse subito hyemis tempore

exoriri dicitur (Herrmann's Beiträge. Bd. 2.), quin etiam e nonnullis regionibus nunquam plane cedit, e. g. e deserto Kirgisiorum (L. L. Finke, Versuch einer allgem. medicinisch-pract. Geographie. Leipzig 1797. Bd. 2. S. 561.). Variè ab incolis morbus denominatur ut: „Wetrenaja-Jaswa (Lustpest), Morawaja-Jaswa, Wamo, Momo, Jassua“, a Tartaris: „Naguptau“ (Brandbeule). — Iste carbunculus Sibiricus sub iisdem conditionibus sese manifestat, saepissime pecora, praesertim equos (Beulenfeuche) invadit et ex uno eodemque fonte cum morbo nostro manare videtur. — Quamvis etiam sagacissimi quidam perscrutatores demonstrare tentaverunt, momentum causale hujus morbi exoriri e miasmate paludum, quod in fervida aestate, inundationes illarum regionum plerumque acerbius sequitur, tamen opinio vana est, quia certo observata illi contradicunt et ad plurimum concederemus, miasma paludum non nisi ex parte, bestiis morborum causam morbi praebere. Praeterea miasmatis paludum vis in ditibus adjacentibus Wolgae et Obis etc. non deest, sed febres efficit (Herrmann's B. Bd. 2. Finke l. c. Bd. 2. S. 548.), quae, epidemice grassantes, lenta evolutione progrediuntur. — Quomodo autem his assumptis explicabimus nonnunquam originem in hyemis asperae tempore et quo-

modo immunitatem oppidanorum deducemus etc.?

Jam majoris momenti opinio a cel. Pallas prolata, morbum ex insecto aliquo in paludibus orto nasci, esse videtur, sed nemo unquam insectum illud vidit; quomodo denique credibile esset, illud acutissimis investigationibus et perscrutationibus (Bjurberg) per tot tantosque annos institutis, nunquam inveniri potuisse, quamquam morbus ille *homines et praesertim bestias*, quotannis fere, olim certe largius quam hodie (Dr. J. G. Smelin's *Reise durch Sibirien* 1740—43. 4ter Thl. Göttingen 1752.) ita vexet, ut ex his de epizootia anni 1785 v. c., plus quam centum milia pecudes inter aestatem unam perierint. Quomodo fieri potuisset, ut nemo insectum inveniret, quamvis idem morbus, cujus extensa vis, accepta etiam infectione ab altera bestia ad alteram delata, tamen semper admirabilis manebit, tam late grassetur? Neutiquam insectorum numerus parvus esse potuit. — Maxime animadvertimus pecora cornuta, quae una cum equis pascuntur, plerumque rarius et rarissime oves adfici, quamquam quaedam loca pellis eorum semper identidem ictui insectorum exposita sunt. Existunt vero nonnulli morbi, qui tantum huic vel illi generi bestiarum proprii sunt, et ad summum de altero in alterum pro-

sciscuntur, quod hic verisimillime cadit in nostram opinionem *) (Vide quod supra respectu nostri morbi de insectorum morsu ceu causa morbi dictum est). Quando hyemis tempore satis pabuli et curae, adveniente aestate, pura liquidaque aqua et pastus in montanis locis, equis praebetur, nunquam eos aegrotare constat et tum etiam carbunculus inter homines non invenitur. — Quae, quum ita sint, causa morbi e contraria et negligente tractatione equorum aliarumque bestiarum oriri videtur, quae causa autem apud homines assumi non potest, unde morbus modo nominatus, hominum, certissime ex alio fonte manat. — Quinam autem est connexus hominum et bestiarum illo morbo laborantium? Anne vim morbum efficientem in ipso morbo bestiarum sitam esse et tanquam in his exortam, in illos non nisi effectum producere, putemus? Magna enim est affinitas morbi hujus sibirici tum hominum, tum equorum, cum no-

*) In tumoribus insectis equorum semper tumor gelatinosus, nunquam vel serius medicamentis applicatis pus invenitur, quod semper duce Am-Pach etc. occurrit in febre ataxo-dynamica (epiz. splenet.) equorum, quam morbus hic equorum pro modo oriundi et indicibus cadaverum sectionum ipsis (Hermann's Beiträge. Bd. 3.) maxime aemulat. Adjungimus adhuc cel. Veith (l. c. pag. 136.) opinionem, secundum quam falso, plantae virulentae et insectorum morsus causam praebent origini illius morbi equorum.

stro et ni maxime fallamur, ambo ex uno eodemque fonte proficiscuntur. Denique Lerche tempore luis equorum (equi tumoribus collum, pectus, abdomen vel partes genitales occupantibus, laborabant; — Beulenseuche), quae anno 1756 a regionibus St. Petropolis, utrinque, ad terras Moscoviticas et ad Livoniam, vim suam pestiferam propagavit, observabat, etiam homines ope veneni a bestiis translati, sat conspicue, carbunculis corripiti, quos Pallas (Neue nord. Beitr. Bd. 1. S. 123.) eosdem esse ac qui in Sibiria inveniuntur, contendit. Lerche nempe ait: „Ich fand, daß alle Kranke, keiner ausgenommen, das franke Vieh vorher behandelt oder angetastet, oder beim Verscharren unvorsichtig angegriffen hatte; aber nicht alle, die das Vieh angerührt, wurden angesteckt;“ — quibus omnibus perpensis conjecturam nostram, carbunculum nempe Sibiricum a viro in bestiis aegrotis nato, exoriri, verisimillimam reddi, nec non sat confirmari, facile concedes.

Carbunculus hic eo magis affinis videtur nostro, quo certius ex uno eodemque morbo bestiali (Beulenseuche) gignitur; quocirca etiam quibusvis dubitationibus a cel. Winkler et Rinne huic affinitati objectis, facile satisfieri potest, quia insuper uterque, varietatis horum morborum demonstrandae gratia, partim iisdem, nec

rectis, nec gravibus rationibus, partim fortuitarum varietatum signis ut diagnosticis utitur; ceterum verum momentum causale cuique ignotum erat. —

g. Carbunculus Gallicus. In nonnullis regionibus Galliae meridionalis, secundum observationes virorum Enaux et Chaussier (Méthode de traiter les morsures des animaux, et de la pustule maligne. Dijon), Thomassin (Dissertat. sur le charbon malin de la Bourgogne. Dijon 1780 et Précis sur la pustule maligne) et Larrey (Mémoires de Chirurgie militaire de campagne) satis probatas, invenitur carbunculus quidam, qui originem suam etiam veneno aliquo bestiae aegrotae, praeprimis epizootia splenetica (fièvre charbonneuse) laborantis, ducit. In diversis regionibus, vario nomine hic morbus nuncupatur; in Burgundia, Toulon, Massilia etc. „charbon malin“ aut „pustule maligne“, etiam „puce maligne“ dicitur, quae nomina Larrey (Mémoire sur l'anthrax) secundum intensitatem morbi, ex una eademque causa, quoad agendi rationem modificatâ, profiscentis, diversa esse, ostendit. — In regione Narbonensi, ubi lanae viro imbutae, morbi origo tribuitur, nomine „charbon provençal“ venit. — Honorius Bouche in histor. provinc. Lib. I. (vide Werlhofii disquisitionem de variolis et an-

thracibus. Hannov. 1735. pag. 115.) hunc carbunculum eundem esse affirmat, quem Plinius (Histor. natur., ed. Milleri. Berolini Lib. 3. pag. 24.) ex Gallia Romam translatum, duobus Consulibus mortem adtulisse, commemorat. — Duce Borello similem morbum „Malvat“ aut „anthrax tarantatus“ nominatum in regione Roquecourbe juxta Castres, urbem provinciae Languedoc occurrentem, cognoscimus, cujus ortum Werlhoff pariter ex lana Narbonnensi infecta, huc ad pannificinas adlata, deducit.

Sine dubio in plurimis Europae terris morbi affines existunt, qui promiscue carbunculi nominantur, quare etiam diversissimi scriptores, inter anthracis causas, partes bestiales corruptas, afferunt (v. c. Sauvages in Nosologia methodica. Tom. II. Lipsiae 1791. J. Astruc's Abhandlungen von Geschwülsten u. Geschwüren. Thl. 1. Dresden u. Warschau 1761 u. s. w.). Sed non solum in ipsis Europaeis terris sed etiam in aliis partibus orbis terrarum certissime morbi affines occurrunt; sic v. c. Bertin (Relation de quelques accidents extraordinaires, observés à Guadeloupe sur les nègres etc. 1774.) nobiscum de carbunculi specie, uno tempore cum epizootia in insula Guadeloupe grassante, observationes suas communicat.

Quae, quum ita sint, quaerimus, anne jam

a priori, momentis causalibus epizootiarum talium in omnibus regionibus orbis terrarum, plus minusve praesentibus, productio et translatio viri epizootici nati, in homines statuenda sit, praesertim in regionibus, ubi rem pecuariam amplo lateque faciunt?

§. 14. Vestigia similium affiniumque morborum jam in ipsa antiquitate reprehendimus. Sic Moyses (in Exodo Cap. 9. st. 9.) de pustulis et ulceribus (böse, schwarze Blatter) loquitur, quem Deus in homines et bestias Pharaonis regis Aegyptiorum, incidere et grassari jussit. Pariter etiam poëtae vetustatis, multa de statibus morborum bestiarum, ab iis in homines translatis, et cum poëtica loquacitate, pro ipsis cognotionibus opinionibusque, causas eorum cantaverunt; ut Homerus (Ilias Lib. 1.), Virgilius (Georgic. Lib. III.), Ovidius (Metamorph. Lib. VII.) multique alii, qui cum vegetis coloribus descriptiones epizootiarum, quae etiam homines morbis infecerunt, posteritati prodiderunt. Sed uti cantus eorum non solum ingenium poëseos sed etiam ardorem australium regionum hauriunt, ita etiam imago illorum morborum naturam australis cujusdam metamorphoseos exprimit, quae magnas ostendens perturbationes et commutationes in organismo et latius serpens, paullatim in statum putridum pro-

grediebatur et vim vitalem organismi funditus subruebat:

*Ardentes papulae, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur; — nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat!*

Virg. Georg. Lib. III.

Quae, quum ita sint, morbi tales nullo modo in recentioribus temporibus primum sunt orti, in quibus autem revera eos saepe adhuc animadvertimus (vide Plouquet opera omnia) et si de historia Esthoniae tales habuissemus annales, qualibus aliae terrae abundant, sine dubio etiam similia ibi confirmari inveniremus. — Attamen vetustas nostri morbi quoque, summa cum verisimilitudine praesumenda est, quia sicuti in prioribus temporibus causae ad epizootias formandas, extensiores et validiores in hac terrarum plaga erant, sic etiam carbunculus noster sufficientes invenit causas. Haud falso igitur ab eo inde tempore fere, quo incolae rem pecuariam fecerunt, origo ejusdem ducatur.

§. 15. *De natura morbi.* Formis, modificationibus declinationibusque morbi cognitis, ratione actiologica experta, circumstantiis singulis et oriundi conditionibus dilucidatis, denique vitam morbi externam, ut ita dicam, consideratam, — necesse erit, et vitam quasi internam perlustremus eaque ratione transitum formemus

ad partem illam nostrae dissertationis, quæ, quibus inimicus vincendus demonstrat. — Hic vero statim multis variisque obstaculis objectis, quorum alia fortuita, alia in re ipsa posita sunt, occurrimus; attamen ad investigandam veritatem eo magis trahimur, quo gravius res confusa et obscura ut vincamus difficultates et viam etiam immunitam, bona fide ineamus, adhortatur.

Duos statuamus oportet status principales in morbo nostro, statum ante carbunculi migrationem, — qui vero duplex, cum affectione universali præcedente (carb. sympt.) aut tantum locali (carb. idiop.) — vel post illam. — a) Virus, morbi causa, aliquo modo cuti admovetur et a vasis absorbentibus excipitur, cum corporis humoribus circumagitur, quin ullam adhuc in loco a viro tacto producat alienationem visibilem; quo facto repente turba organismi, minori vel majori temporis spatio elapso, incenditur, quam animadvertere licet in carb. sympt., in quo tum et plerumque systema irritabile, tum systema sensibile, tum etiam utrumque phaenomena ostendit prævalentia. Naturæ conamina virus susceptum devincere student acturba eo validior esse debet, quo magis sine interruptione a causa influente præsentem, denuo eliciatur. Frigus, calor, omnisque generis motiones febriles, pulsus celeres,

fortes, duriusculi, contracti, secretiones impeditae vel saltem imminutae, congestiones verus caput etc. symptomata sunt primaria, quae systema irritabile affectum pronunciant, quibuscum junguntur deliria, temulentia, tremor artuum, lassitudo, vomitus, anxietates etc. symptomata functionis systematis nervosi turbatae, vel a quibus illa superantur. — Sic turba febrilis peculiaris generis, a veneno peculiari orta, — plane deficiente alicujus organi absconditi nobilioris, affectione magis conspicua est, quum enim e contrario, omnia aequae fere laborare videntur, — modo characterem inflammatorium, modo nervosum, magis induens, pariter ac in exanthematibus evolvendis, quandoque visa, oritur, cujus vero causa tum a veneni peculiaris diversitate, tum a constitutione, sexu, aetate correpta etc. dependet, — etsi haud negari possit, virus demonstrare distinctam, certam inclinationem in vitae nervorum perturbationem. Turba illa increscit, donec naturae contigerit, ut virus aliquo modo vincat, vel destruat vel ratione incognita adhuc, indifferens reddat, et, ut plurimum, affectionem totalem, metastasi quodam mitiget. Haec autem metastasis ipse carbunculus noster sympt. est, cujus eruptioni dolores, temperies mutata, tumor tensione partium et cetera symptomata, pro na-

tura mali speciei praecedunt; quae partis mutatione eo tendit, ut pustulam vel maculam in suo cacumine formet, quasi per crisin localem. An vero febris illa praecedens, interdum malignis haud absimilis, sicuti illae, in carditide (duce Kreysig) vel in systemate venoso praevalente (duce Puchelt) sistat, — hic investigari nequit.

b) Virus jam ante distributionem in humores organismi universalis, in cute ipsa metamorphosin format. Evolvitur sine ullo signo affectionis universalis, aliquo loco dolente vel rubicundo vel alio vel nullo omnino modo mutato (carbunc. idiopath.). Accedere potest febris secundaria, quae carbunculi efformationem concomitatur veroque dependeat partim a veneno assumpto, sicuti interdum in vaccina prorumpente observamus, partim ab excitatione cutis locali, quae modo sympathico toti impertitur organismo. — Hisce processibus et illis sat efformatis in utroque casu omnia fere symptomata vel mitigantur, vel plane evanescent, nisi virus denuo provocatum novam incenderit flammam. — Sic igitur macula vel vesicula carbunculi sympt. nobis crisin localem, per metastasin demonstrat affectionis universalis, illa carbunculi idiopathici vero crisin localem affectionis cutaneae topicae. — Sed unde diversitas haec carbunculi formationis? causa hujus in natura sub-

jecti individuali posita est, an in diversitate specifica veneni ipsius? Nonne forte modo in loco, epidermide privato, virus assumatur, modo ubi nulla cutis laesio sit? Quibusnam rebus resorptio modo impeditur, modo augetur? — De quibus autem, quum observationes adhuc deficient, nil certi statui potest. Quandoque et uterque modus carbunculi originis, locum habere videtur, quod fortasse occurrit, ubi loco carbunculi futuri jam designato, nulla praesente affectione universali, phaenomena nova accedunt turbae totalis, organismi, donec carbunculus alter formatus sit; quodammodo et casus gravior carb. idiopathici huc pertinet. — Fundus vesiculae vel maculae est tela cellularis cutanea inflammata, cum actione aucta particulae limitatae fere, vasculorum capillarium et cum retis Malpighii alienatione forsitan, ubi quandoque exsudationem massae limpidae, sublevata epidermide, cernere licet. Ambitus aut forte, aut parum, aut haud omnino ruber, aut pars venosa vasculorum capillarium aucta apparet, unde ambitus caeruleus atque fundi vesiculae color austerior. Raro partes subjacentes et adjacentes omni tumore carent, qui in carb. symptomatico plerumque magis perspicuus est, quam in idiopathico, quod actionem partisque intensionem mutatam pronunciat; secundum quod et temperiei

auctio diversa est. Vesicula vel macula, quae in medio tumoris minoris vel majoris sibi eligit sedem, ac nil nisi crisis illius est, nisum habet conspicuum, viro fortasse denuo provocato auctum, in gangraenam, — unde colorum variatio, — quaeque nostra opinione aut sequela est tensionis inflammatoriae nimiae loci affecti (tumor inflammatorius, rubor, calor auctus, dolores vehementes, quae plerumque laniationem carbunculi unguibus excipiunt, quam mors subsequitur), aut sequela virtutis nervosae a veneno directe correptae et extinctae, unde paresis (tumor minus rubicundus vel omnino albus, haud calidior reliquâ cute, sensibilitas imminuta vel plane deficiens et dolores parvi.).

Quum cadaverum sectionibus careamus, una, sed imperfecta, non sat ample institutâ, excepta (vide finem), quae dilucidare possent naturam morbi vel potius causam denudarent mortis, — nobis fugiendum erit ad sectiones alibi institutas. — Dr. Larrey, cadavera aperuit hominum morbo affini (pustule maligne) mortuorum, quem in ditionibus circa urbem Toulon, pluries observabat et tractabat; narrat, se semper invenisse similia ac autopsia corporum, peste mortuorum, manifestaverat; — praepri-
mis intestina, omentum, tumefacta, maculis

gangraenae obsita passim, reperiēbat. — Et in Germania saepe inflammatio, tumor ac gangraena organorum abdominalium visa sunt, quod Am-Pach ac Veith, nec non observationes ab Ellisen in Finlandia, et a Bertin in Guadeloupe factae, confirmant, sicuti illae a Kausch in Polonia institutae; dein Bornemannii (Serrmann's Beiträge. Bd. 3.) observationes in Russia factas adjungamus, cui cadavera hominum morbo „Morawaja-Jaswa“, mortuorum, aperta, sequentia demonstravere: in abdominis cavitate magna lymphae exsudatae copia, mesenterium nigrum, ventriculi glandulae tumidae, omnia intestina, praeprimis duodenum, quod mucō flavo repletum, valide tumefacta, versus cardiam nigrum apparuit; intestina alia gangraenosa, omentum magnum ac curvatura ventriculi magna gangraenosa; hepar molle; renes discissi, colore haud naturali; renes succenturiati valde tumidi et mucō flavo circumdati pariter ac glandulae inguinales; — glandulae in thoracis cavitate tumidae ac mucus ille flavus etiam in glandulis jugularibus, accumulatus, sese maxime subter cute colli et pectoris extendebat.

Quae quidem sectiones locis et tempore diversis, a viris quoque diversis institutae, essentialiter eandem fere summam manifestant; in omnibus affectiones organorum cellularium, tu-

mores illorum ac glandularum cum exsudationibus mucosis, auctis depravatisque, maculae gangraenosae dispersae etc. apparuerunt.

Vertamus oculos ad symptomata, quae maxime versus finem mali nostri, praecipue si modo non turbetur, aliquo eventu in decursu suo (vide infra), in prospectum veniunt, quae porro illud ad mortem usque, concomitantur, puta: sensus peculiaris ponderis initio, in regione ventriculi, serius saepe abiens in dolorem intolerabilem (Çüddaine wallo), quod signum ubique ab idiotis, deterrimum habetur; vomitus vehemens (signum pessimum!), constans, inopinato atque absque causa evidente, invadens, semper fere brevi, mortem praecedere solens, cum sensibilitate plus minusve perspicua abdominis, anxietates et inquietudo, ardor intestinus indeque pendens algor marmoraceus extremitatum, sitis valida, lassitudo virium inconsueta, pulsus parvi, contracti, frequentes; — omnia haecce signa plus minusve affectiones inflammatorias abdominis organorum, praesertim intestinorum indicare ac quam maxime phaenomena morbos affines concomitantia, aemulare, invenimus. His si adnumeremus glandularum tumores externe apparentes, fortasse nostro in morbo maxime perspicuos, et quod sectio una (vide finem) demonstrabat, a massa simili gela-

tinosa exsudata, formari, nostro morbo eundem adscribere cogimur exitum, qualem affinis, etsi careamus sectionibus, opinionem istam confirmantibus.

Ut sensus abdominis dolorosus, praecipue in regione *superiore* sentiatur, ab eo certe pendet, quod inflammatio fortior ibi esse consuescit, ob majorem sensibilitatem partium, unde et illic saepius reperitur transitus in gangraenam (Marcus *Therapie*. Bd. 2. S. 433 u. f. w.); quinimo sensus peculiaris abdominis, saepe ab infestatis, haud declarandus, in connexu cum ceteris phaenomenis, suspicionem ciere oportet enteritidis (Marcus). Nec mirari debemus subitaneum in mortem exitum, signis abdominis affecti, jam conspicuis, quum iste ex observationibus medicorum (celeberrimi Marcus aliorumque virorum experientissimorum), haud raro contingere solet subjectis teneris, sensibilibus ac infantibus. Insuper vis organorum horum affectorum, citius exstinguitur ob vitam, dispositione jamdudum morbosa, altiorem, quae causam tenet in ipsa debilitate (§. 7.); quivis enim processus, si tandem incenditur, ibi rapide ac agiler fit. — Hunc exitum repentinum, Ellisen suetum morbi in Finlandia ab ipso bis observati, nominat finem. — Denique, quis ignoraret, — materies putridas, acres, ichorem etc.

jam ab auctoribus diversissimis, ut causas enteritidis accusari; — moneamus porro, organorum abdominalium, praecipue intestinorum inflammationes, quam saepissime medicos doctissimos, in praxi medica veteranos (Richter. Vogel.) fefellisse et nil amplius ad mirandum nos perducet, si affectio abdominalis, nostro in morbo etiam, non semper, sat mera ac depicta sese manifestet et praesertim, quum tota mutatio a veneno certo producta, cujus vis deprensiva ac turbans fortasse in occultis latet, nos adhuc fugit. Hisce assumtis et sententia Wilde confirmatur: „carbunculum collapsum, morte ex inflammatione interna ac gangraena excipi“; — nescimus an sententia istius viri certis nitatur observationibus? — Status ille chronicus (§. 4.) cum febre hectica, quae interdum hominem, gravem perperam casum, a quo haud omnino, vel lentissime recreari potest, detinet, causam sufficientem fortasse quoque in mutationibus organorum abdominalium invenit.

Attamen alium adhuc exhiberemus oportet exitum morbi in mortem, inter indigenas Esthoniae, quod denuo peculiaritatem constitutionis eorum profitebitur.

In superioribus jam (§. 7.) animum invergimus in constitutionem indigenarum Esthoniae, et cutem, cum organis cutaneis cellularibus to-

tumque fere systema reproductivum praevalere, experti sumus, illudque quasi in dispositione morbosa endemica, in statu aliquo infirmitatis pendere, demonstravimus. Unde et omnes fere potentiae morbi, plus minusve, non solum praeprimis ad illa organa reflectuntur, sed etiam, quae directionem suam sequuntur ad illud systema, ibi strages citius edunt (vide supra). Itaque in morbo nostro decursus interdum repente interrumpitur, ab intumescencia telae cellulosae, non raro maximam corporis superficiem detenente et propter glandulas, exsudationibus massae crassae tumefactas, in collo, verisimiliter etiam in fistula spiritali, thorace et fortasse quoque in pulmonibus. Interdum nempe in ultimis vitae horis, sensus suffocationis ac impotentia, potus cibosque deglutiendi, exoritur, (quam ipsa fortasse ventriculi affectio morbosa adauget), porro gulae constrictionis, difficultates respirationis, in quibus spuma albida ante os protruditur, oppressionis pectoris sensus, anxietates (quae sane et organorum abdominalium affectione gignuntur); quibus omnibus perpensis, minime fateri cunctabimur, — mortem interdum paralysi pulmonum advehi. — Sed ob pulmonum functiones impeditas, nec raro et congestiones caput occupabunt, quae eo difficilius dissolvi possunt, quo magis tumore

colli facieique, venae functiones turbantur ac mortem apoplecticam admovebunt; — exinde vero in carbunculo, collum obsidente, nasci videmus conscientiae defectum, oculorum obnubilationem, faciem tumefactam, inflatam, paene violaceam nec non sanguinis stillationem e naribus post mortem. Ac verisimillimum nobis videtur, interdum jam in primo stadio (carb. sympt.) apoplecticam mortem advehi, praesertim si natura in capitis vicinitate, carbunculum efformare studet, — quo facto vesiculae vel maculae formatio, tollitur; qualem vero exitum et in aliis febribus malignis observamus, nisi impetus nimius febrilis, natura sola vel artis ope mitigetur. Huc fortasse rara illa pertinent exempla nostri morbi, quae nulla signa inter vitam, nec externae nec internae carbunculi eruptionis praebent, nihilominus vero motiones febriles validissimas cum capitis affectione perspicua (§. 7.). — Sic quandoque pulmonum ac cerebri paralysis sibi invicem obviam esse, vel altera alteram praecedere, et unam mortem inducere posset, antequam affectio organorum abdominalium perspicua fuerit. — Jam e dispositione morbosa et frequentia sedis carbunculi in partibus superioribus corporis, hanc mortis speciem saepius hic, quam alibi contingere, liquebit. — Hoc ex morbi exitu et idiotarum

observatio, qui periculum vitae ut plurimum pro celeritate decursus atque pro furore phaenomenorum, aestimant, veniat: „*quo propinquior morbus cordi (i. e. regioni ventriculi — Śūddā), eo perniciosior*“; — Itaque homines a morbo nostro correptos multiplici ratione obire vides, partim gangraenam organorum abdominalium, partim pulmonum paralyti tandemque apoplexiā, saepissime vero diversi hi status sese conjungere, valent.

Si matura ope, morbus localis efformatus, haud victus, nec partium qualitas abnormalis, virus parandi, mutata est, vel si laniando vel nimis mature aperiendo, turbatus, vesicula vel macula desidunt, et pars affecta retis capillaris cutis, fundus sc. vesiculae vel macula ipsa intermori paullatim consuescit. — Mox processus prior cutis, illam fugit, alius novus vero sub illa, in tela cellulari nascitur, unde ut plurimum imminui solent cutis color mutatus, tensio ejusdem inflammatoria, temperies aucta; processus a corio in telam cellularem abit subjacentem, quae in magna versatur exsudatione, modo qualitativo mutata et sensim incremente. Unde dolores in profundo et tumor ille magnus, sensibilitate partim ob extensionem partium magnam, partim ob vim nervosam veneno deletam, carens. — Hunc vero statum nobosum partium

neutiquam a cutis particula gangraenosa, quae ut plurimum in periculoso etiam exitu, nullo modo mutatur, sed potius a veneni in parte affecta provocati, absorptione, derivare potes, — quia plerumque status universalis, saepe aliquo modo jam efformatus apparet, antequam nigrue- rit fastigium tumoris; — quia sublata parte gan- graenosa, nihilominus affectio totalis exoritur; — quia pars gangraenosa, insuper, non nisi ichore profuso et humoribus ab eo correptis, nocere consuescit et statum universalem adoritur, fe- brem provocat putridam, quod hic non regula, sed exceptio, — ob sempiternam fere rigidi- tatem et siccitatem partis gangraenosae morbi nostri, quae maxime aemulat partem cutaneam a corrosivo aliquo combustam. — Virus eo pro- vocatum absorbetur ac retro tendit; — collabi- tur ideo epidermis in forma vesiculae eversa ac virus acre in illa contentum disparet. — Non vero semper sic conspicuum evadit virus (§. 2. d.), attamen illius praesentiam negare potes; gan- graenescit macula et subsidit, dum similis pro- cessus incenditur in partibus subjacentibus, qui nigrata vesicula in conspectum venire solet. — Certe ac maxime verisimile nunc virus continuo provocatur a partibus vicinis similibusque, huic nisui jam idoneis, qualitative mutatis, quod ob- sorbetur nec non tempore plus minusve longo

praeterlapso, turbam ciet internam, periculo-
sissimam. — Interea virus in localitate provo-
catum, — contagium sit nec ne? — saltem ali-
cui virosi producti, affectionem totalem tribuere
debemus.

Sic ergo processus novus exoritur, transiens
quasi a cute in partes absconditas, et sensim
febrem incendens plus minusve systema irrita-
bile vel nervosum *) occupans, pariter ac in ini-
tio carbunculi symptomati, — cui quasi cacu-
mine attacto, affectiones locales organorum no-
biliozum abdominis adjunguntur. — Corripitur
a morbo sensim sphaera vegetativa ita ut hic,
modo contrario ineuntis morbi (v. c. carb.
sympt.), ab externis partibus versus internas ten-
dat; corripiuntur magna pars telae cellulosae
cutis et glandularum corporis et dein organa cel-
lularia, quae abdomini insita, periculum sum-
mum perniciosum afferunt; — ad quae nimirum
quam saepissime, cutis affectiones turbatae re-
flectuntur. — Membranae quoque serosae mor-

*) Quamquam negare nequimus, morbum nostrum
interdum *febri* aemulare *nervosae*, quinimo, causis fo-
ventibus certis, — ad *febris putridae* gradum usque evolvi
posse, — attamen non possumus, de natura morbi cogi-
tantes, — quin *simpliciter* illum *typhum* nominemus
contagiosum cum *cel. Rinne* vel *febrem putridam* cum
cel. Winkler.

bum nunc participare videntur, unde exsudationes magnas pericardii, pleurae, peritonei in cavitatibus his correspondentibus, exponere tibi potes, — quaeque mutationes, praecipue pleurae ac pericardii, sensum anxietatis magnae ac respirationis difficultates revera augent. Ex his intelligi quoque potest, quare in plurimis casibus, ubi sane carbunculi tumor ne collum quidem obsidet, sensus anxietatis ad mortem usque increscit, etsi gangraena intestinorum jam perfecta, ille decrescere oporteret.

Nonne forsitan in organis abdominalibus idem reiteratur, quod observamus in cute, ut puta carbunculi formatio? Nonne hoc ex fonte proveniunt maculae illae gangraenosae cum partium tumoribus in ventriculi ambitu, i. e. in intestinis, omento, vel in ventriculo ipso, ubi ea ex causa magis extenduntur, quia inflammationis extensioni vomitus continuus faveat? Conjectura haec, quodsi vera sit, aliquantisper novum profert argumentum, formari contagium, ac vice versa, quia versimillimum est (§. 12.) contagium saltem quandoque formari, concludere possumus, quas hoc in processu retrogresso vidimus mutationes in organis abdominalibus, nil esse nisi processus cutis repetitus.

Processus hic retrogressus sub climate alio, fortasse aliter se habebit v. c. in Momo interdum

ac in carbunculis a Plinio notatis, nec non in nonnullis Galliae, — et viscera alia occupabit, cerebrum fortasse, unde somnolentia ac stupor intrant versus finem morbi, quae maxime ab illis metuuntur.

Extra omnem dubitationis aleam nobis positum videtur, easdem affectiones organorum abdominalium et carbunculo symptomatiko, qui serius efflorescit, brevi sc. ante mortem, affectum pati; quamvis vesicula vel macula, in hoc casu semper *parvae et cito desidentes*, prodierant, tamen pergere videmus morbum universalem, qui omnino statum universalem post gangraenam carbunculi, aemulat. Ob diversa vero obstacula naturae, quae directionem suam divisit, non contigit, ut crisin perfectam in cute cingere potuerit. — Propter peculiaritatem hanc, fortasse quam rarissime bono gaudet successu cura, modo consueto, suscepta; tumor magnus jam adeo insensibilis est, ut vel gravissima irritantia, vim suam exserere nequeunt. — Hic quoque explicatur rusticorum observatio, quae: „*quo minor vesicula vel macula, eo perniciosior*“ docuit. — Nec aliter sese habet vesicula vel macula post mortem, uti dicitur, erumpens; concedere non possumus, illam morte jam perfecta quia orici nempe in istiusmodi statu, tales exsertiones vitae organicae, adhuc vigentis per

productiones ac formationes, nunquam evenire possunt. — Certe in ultimis vitae momentis evolvitur carbunculus vel in statu quodam, quem, sed sine jure, jam exanimatum habemus, in quo vero systema vegetativum adhuc, modo organico viget. — Itaque essentialiter congruit cum malo, in quo macula vel vesicula carbunculi prorumpere recusat, denique serius erumpit. — His vero abnormitatibus neutiquam deest exitus ille morbi in mortem, praecedente apoplexia vel pulmonum resolutione; paucis: omnino ac penitus conveniunt quoad palmaria, cum carbunculo sat tempestive erumpente ac ad mortem vergente.

Sub coelo meridionali facilius ejusmodi mutationes organorum abdominalium in processum vergere possunt putridum, quum hic, partim certissime ob auctam vitam nervosam, magis perspicua est putrescentia humorum, nec infitias ire volumus, morbum in climatibus calidis ardentibusque, ad pestis gradum increfcere, praeprimis, si citra infectionem per cutem, altera per stomachum admissa fuerit; — in ejusmodi regionibus caro facilius in putredinem abit, praeprimis, quae jam morbida, et quis ignorat illam jam saepe febribus malignis, quinimo pesti ipsi producendis, causam praebuisse. In nostris quidem regionibus ac in septentrionalibus

summatim, exitus inflammationis in gangraenam ac eo in paralytin organi totius, citius locum habet, sicuti omnino procursus totius morbi hic ocyus tum quoad localem, tum quoad universalem adfectionem evenire solet; unde hic limitatio gangraenae cutis, ibi vero progressus ejus in vicinitatem magna cum ichoris productione. Hoc vero caractere generali quoque curandi methodi similes sint vel modificentur, necesse est, — sub diversis coeli regionibus. — His perpensis, nobis plane verisimile videtur et bestiarum morbos quoad adfectionem primariam omnino inter se convenire, illa cum discrimine postero, hominum mali instar, quod ibi tendunt in putrescentiam humorum cum exitu frequentiore tumorum in gangraenam et putredinem, hic contra prius jam paralyti alicujus organi mortem advehunt, praegressa aliqua mutatione ejusdem fabricae ac virium.

Attamen caveamus ne limites transgrediamur! Tam diu quam pluribus gaudere nequimus certis observationibus ac cadaverum sectionibus, tum in hominum, cum in bestiarum corporibus institutis, — haud amplius campum possibilitatum extendere velimus.

§. 16. *Prognosis* morbi, qui quandoque inter spatium viginti quatuor, quinimo minori

horarum numero, atque solis naturae viribus commissus, semper enecat, qui dein originem suam ducit a viro parum noto etc., — nulla nisi maligna et anceps, evadere potest.

Carbunculus sympt. in stadio primo, donec crisis localis nondum perfecta, magis dubius semper est, quam idiopathicus; increscit nimirum febris, versantur aegroti in periculo continuo crescente, ob exitum ac directionem naturae adhuc ancipitem, unde eo melior prognosis quo citius carbunculus perfecte extiterit. — Carbunculi symptomatatici omnino efformati prognosis, convenit cum illa carbunculi idiopathici; benigna est quoad vitam servandam, etsi quod attinet ad restitutionem partis affectae, prognosis interdum mala esse debeat, v. c. in carbunculo oculum obsidente vel ejus vicinitatem. — In stadio secundo, ubi vesicula vel macula desiderare inchoat, vel aliqua ratione processus in cute alienabatur, quem morbus universalis excipit, — omnino congruunt carb. symptomataticus ac idiopathicus, quoad prognosin, quae hic haud secus ac incerta, anceps, quinimo *maxime dubia* exstat, hoc quidem eo magis, quo citius transitus ille factus est. — Quum experti simus, quantum ac quam multiplex fieri possit periculum, subeundae mortis inopinatae hoc in stadio morbi, et quum dein noscamus, quam

gravis ac periculosa oeconomiae animali sit affectio organorum mortem afferentium (§. 15.), *maxime dubitare oportet*, quin servemus aegrotos; quum ad haec porro adnumeramus virus ejusque antidotum nos adhuc latere atque medelam nobis adeo raro hoc in stadio contingere; — sat excusatur prognosis nostra suspiciosa. — Si adfuerint faciei, extremitatum frigus marmoraceum, vomitus continuus cum sensu illo peculiari abdominis et quidem pulsibus jam parvis, intermittentibus exilibusque, porro debilitas vera exserta in functionibus organismi, — nec non facies tumida, inconscientia, respiratio laboriosissima ac anxietas immensa, periculum suffocationis etc. — *omnino fere desperare licet de salute aegroti*, nam periculum summum jam indicant phaenomena. — Nec aliter ratio habenda est, carbunculi sero, in ultimis vitae horis efformati, et majoris pendendum erit adhuc periculum (§. 4. §. 15.). — Si symptomata ex abdominis organis proficiscentia decreverint, praeprimis sensus peculiaris ac vomitus, si redierint vitae vires corporis, calor, conscientia ac pulsus eriguntur, si imminuuntur tumores telae cellulosae ac glandularum, si nova accenditur vita in fastigio carbunculi, — post crisin perfectam vel tantum post lysin, — idem

valet, — prognosin etsi adhuc dubiam, tamen jam meliorem nuntiare possumus.

Homines robusti, ut plurimum viri vegeti, sanguine oppleti, nec non sensibiles praecipue mulieres ac infantes, semper magnum ineunt periculum in stadio primo carbunculi sympt., — illi ob turbam systematis vasculosi, hi ob exaltationem magnam systematis nervosi, nec non ob inde exortam tensionem inflammatoriam vel spasticam loci affecti; in secundo vero stadio morbi (tum carb. sympt. cum idiopath.) illi ob exitum celerem in mortem apoplecticam, sanguine in cerebro stagnante (si enim carb. partes haud procul a capite vel illud ipsum obsidet), hi ob exitum morbi velocem in mortem, vi nervosa verisimiliter exhausta, primarie in organis aegrotantibus abdominis. — Hominibus jam aegris, cacochymicis, aliqua dyscrasia praeditis, praesertim scorbutica, magnum minatur periculum; nec minus hominibus senibus cum cute torpida, vitae vi propemodum carente, ubi etiam morbus localis pro statu universali virium efformatur, qui semper obstare consuescit celeri remedium efficaciam. — Omne signum transitus humorum in putredinem, curam difficilem ac successum dubiosum reddit, — quod inter omnes carbunculi species, quas natura formare studet, de illa cum halone caeruleo maxime va-

let. — Vinolenti, bibitores sicerarum, praesertim si et inter morbum, aquam vitae assumant, — ad summum periclitantur. — Anni tempus, tempestatum influxus, temperamentum occupati, hoc vel alio modo morbum mutantia, considerari debent, ideoque prognosis institui. — Sedes morbi localis in vicinitate organorum nobiliorum, uti in capite, lingua, collo etc., majorem curam habere requirit de aegroti salute, quam si extremitates laborant. — Sedes haec morbi localis multifarie cum vesiculae vel maculae magnitudine connectitur atque si exiguitas dependeret a crisi imperfecte a cute peracta vel partita, — prognosin suspiciosam indicat; alioquin nil mutat in prognosi. — Quatenus quatuor illae species carbunculi supra notatae quoad prognosin aliqua ratione diversae sint, nondum experientia sat confirmatum est; — forsan illa cum halone caeruleo periculosior est ob faciliorem in putredinem transitum; nec negari potest, carbunculum „weiße Blatter“ nominatum, prae ceteris majus praedicere videtur periculum, quod vero cum morbo universali cohaeret (§. 2. a.).

SECTIO TERTIA.

§. 17. *Cura morbi.* Aliquatenus naturam morbi perspicientibus et multifariam mortis in illo scaturiginem deprehendentibus, nobis hac in parte conveniat, ut grave illud arbitrium ad novissima usque tempora morbi curationem regnans, ac empiriam illam rudem, cui, fato coeco confidenti, quamdam vitam infestam conservare contigit, arceamus ac quantum nobis concessum, viam rationoliorum, *indigitemus.* — Quum morbus viro specifico constituatur, cujus indoles non sat satisque atque antidotum, nondum cognitum, — ut in omnibus affectionibus morborum, quibus virus quoddam subest, et in hoc quoque nostro morbo curando, ad duo momenta per omne temporis spatium respiciendum erit: *primo* nobis semper in memoria tenendum est, morbum organismum invadentem a viro specifico importari; *secundo* nobis ad virium morbo correpti rationem continuo respiciendum, nunquam negligentibus causam efficientem. Quodsi igitur subinde turbas in organismo excitatas sedari oportet, memores nihilominus esse debemus, dum certum veneni antidotum non adepti sumus, illud novas denuo turbas excitaturum, adhuc vigere, et igitur semper viribus aegrotantis parcere debere, quippe

quae postremo unicum praesidium suppeditent, quo veneni domituram consequi valeamus.

Cura carbunculi symptomati. — *Naturam in conatu suo salutari adjuves*, — quem finem adsequimur:

a. impedimentis removendis, modo in toto organismo (nimia turbatione febrili, nunc systema irritabile, nunc sensibile magis infestante), — modo in singulo organo (nimia tensione inflammatoria aut spastica cutis aut torpore, vel rebellionem alius cujuslibet organi, v. c. ventriculi, cordis, cerebri etc.) obviis; —

b. immediate cutem externam incitando, illud nimirum organon, quo natura crisin molitur, ubi haec minime discrimini obnoxia est et quod tandem quam maxime artis auxilio patet.

Vehementissimo febris impetui, quam maxime in systemate irritabili vigenti, optime venaesectiones opponuntur, quae eo majori efficacia gaudebunt, quo magis caput affectum, quinimo delirium adest, pulsus duri, secretiones suppressae observantur; in juvenibus vegetis, robustis, constitutione aëris phlogistica etc. necessitas sanguinis evacuandi, magis adhuc urget *); in illa unica salus posita est, et crisis

*) In Germania (Hufeland's Journ. Bd. 46. 1818.) in Russia (Herrmann's Beiträge. Bd. 3.) saepius ratione ido-

saepius, ullo alio medicamento interno adhibito, in cutis ambitu brevi continget. Tamen memoria tenendum sanguinis evacuatione non virus exstingui, — Vesicula seu macula vero nihilominus non rite prodiente, superfusiones cum aqua frigida, a Currie propositae, saepius quidem repetitae, hic efficacia pollebunt. Iterum venam seces, rarissime necesse erit. — Capiti, si maxime urgeant symptomata, fomentationes Schmuckeri et nuchae et suris sinapismos impone, quibus forsitan eventum quemdam infelicem prohibeas. — Ad usum internum, pro febris vehementia conducunt salia neutralia, quae vero *mox* mutare poteris et mixtio illa ab annis inde comprobata, ad crisin cutis promovendam, idonea — e Nitro et parva dosi Camphorae, — ac pro potu, acetum tepidum. Serius et plerumque brevi, nitri locum acetum obtinebit. Mixtione hac ex camphora et aceto, non solum in hoc morbo sed in omnibus fere affectionibus febrilibus, prospero cum successu, largissimis

nea medici ducuntur, methodum antiphlogisticam adhibere, et nominatim ab infuso theae, spiritu frumenti abstinere, — potum „Quas“ vero calidum bibere jubent (Dr. J. G. Smelin's Reise durch Sibirien v. J. 1750 — 43. 4 Thl. Göttingen 1752), dum in aliis regionibus initio morbi jam Sal ammoniac. cum spiritu frumenti propinant et demum, quum virus ad viscera interna migrat, venam secare suadent. (Herrmann's Beitr. Bd. 2.)

saepe in dosibus, rure ubique utuntur. — Continuetur hoc cum remedio ac carbunculi eruptionem perfectam usque; — eodem tempore vero blanda alvi ejectio ope clysmatum ex oleis unguinosi, sale culinari etc. curetur. — In feminis delicatis et infantibus teneris, in quibus phaenomena praedominant systematis nervosi, venaesectione plerumque egere possumus, dum usui interno aceti camphorati, adhuc balnea universalia tepida adjungimus; sinapismi cuti diversis locis admoventur, ad rubedinem usque; dein vero emetica porriguntur, quae experientia duce, egregio emolumento sunt. Rarissime adhuc vero antispasmodica, ut opium, valeriana, aliaque postulabuntur. — Si vero in sene debili, aetate correpto, ob vim organismi labefactatam crisis perfici non potest, pulsibus parvis, debilibus, tremulis, cute urente sed sicca et arida, siti modica, capite quidem affecto sed a deliquio animi ac temulentia magis, secretionibus ceterum non valde suppressis, — praeter emetica et balnea tepida, quibus cum fructu aromatica, spirituosa, spiritus camphoratus adduntur, propinentur camphora largis dosibus, sal c. c., spir. c. c., aetheres, spir. frumenti, vinum, moschus, (tinct. moschi cum ambra); insuper frictiones cutis instituendae sunt ope pannorum laneorum, decoctis sem. sinapeos, rad. armoraciae, tinct.

cantharidum, spiritu sal. ammon. caust., spiritu frumenti calefacto imbutorum vel resinis balsamicisque naturalibus suffitorum *); balneis adhibitis, vel simpliciter cutis iterum cum pannis laneis pilosioribus fricanda vel scopulis purganda; posthac clysmata e substantiis similibus aromaticis, cum tartaro emetico, asa foetida, aceto, bulbis cepae etc. adhidenda sunt.

Interea loco, quo natura in cute crisin molitur, nullis signis indicato, nihilominus constanter in usu remediorum nominatorum persistendum; suris, scrobiculo cordis, nuchae sinapismi ad cutis ruborem usque, applicandi et si res urget, saepius loca mutanda sunt.

Loco carbunculi tandem vero conspicuo, eadem remedia topica, quae curae generali, postremo adhibita congruere debent, imponenda, et nunc modo hirudines, modo cucurbitulae vel sanguinem educentes vel siccae, modo irritantia locum invenient. Inflammatione non tam urente, cataplasmata tepida, emollientia ex pane albo et lacte vel seminibus lini, addita-

*) Qua fortasse ratione, crisin imminens, loco perducere, succederet, idoneo desideratoque, — quod vides in Pocolwar Hungariae, externe applicato rapunculo scelerato (acribus pollet) (Schnurrer), — unde fricandae praepriis extremitates, iisque imponenda forte irritantia, donec dolor sentitur.

mentis nonnihil incitantibus, et his deficientibus e fimo recenti cerevisiae, spiritus frumenti recrementis calidis, cum foliis betulae albae, ceparum bulbis, armoraciae radicibus, vel pice navali confecta, conducunt; si res urgeat, fomentationes e decoctis seminum sinapeos, epithemata ex iisdem aut bulbis cepae; radicibus armoraciae, hb. anemones, rad. zingiberis, seminibus piperis, cortice mezerei etc. cum spiritu frumenti cocto vel cum farina secalina in cataplasmata redacta, calide applicata, aut emplastrum cantharidum ad horas nonnullas impostum, cute antea decocto seminum sinapeos fricata, vel urticis caesa, expedient.

Quodsi vero naturae fortiori vel minori virium contentione successit, crisin perfectam efformare, per aliquam temporis moram, in usu remediorum internorum continuamus et tum sensim sensimque ut res exigunt remittimus; externe vero tantum in topica tractatione affectionis perseveramus, — Ulterior cura cum illa carbunculi idiopathici omnino congruit. — Diaeta et regimen in omnibus cum, cura therapeutica debent conspirare.

Quodsi initio morbi aucta regionis ventriculi sensibilitas, vehementi vomitu stipata, manifestatur, emetica evitanda sunt et omnia re-

media in vehiculo mucilaginoso porrigenda (vide infra).

Cura carbunculi idiopathici.

- 1) *Perfectae carbunculi efformationi prospicias; dein*
- 2) *Focum viri destruas, — vel mutandis viribus partis affectae vel immediate removenda parte parva gangraenescente.*

Huic fini pro vario organi turgescientiae ac tensionis gradu respondent modo remedia magis demulcentia et maturantia, quibus cataplasmata e mica panis cum lacte, seminibus lini, melle et farina secalina, cerevisiae fecibus, hominis ac pecorum stercoribus recentibus cum bulbis cepearum ac croco etc. pertinent; modo remedia potius incitantia, acria ut sinapismi, rad. armoraciae, empl. cantharidum, pulvis sternutatorius ex tabaco etc.; inter utramque vero horum remediorum classem cataplasmata in Rossia saepissime usitata e foliis herbae nicotianae contusis et sale ammoniaco confecta, poneremus *). Constante remediorum horum usu

*) Nonnulli lumbricos terrestres admovent, donec mordere incipiunt; qui vero, postquam emulserint, mox mori dicuntur; alii a rana viva carbunculo adligata aut a bufone vivo, pelle detracto et in dimidiam dissecto, utilitatem observasse, contendunt (Hupel. Miscell. et Winkler); quibus enim factis virus nocens removeri, affirmant.

carbunculi, medium sponte rumpet et laticem contentum effundet vel etiam nuclei in modum illico semper decedet; — illo vero non sponte rupto, illico rupturam levibus epidermidis incisionibus promoveri licet, attamen non nisi post peractam maturitatem, prius enim secundum Wilde, Rinne etc. operatio haec tristem exitum adducit. Tum vero statim ulteriori nostrae fini indulgere possumus. — Morbo topico eoque progresso, focum virus gignentem omnino destruere, ac hoc modo reproductionem, quae forte contingeret, et inde absorptionem ab organismo in totum prohibere, conamur. Sed hic finis jam priorum remedium usu consequutus est, ita, ut viribus localitatis affectae mutatis, apertum ulcus superficiale existat et nec reproductio veneni, nec transitus in gangraenam nobis metuendus sit. — Contrario vero casu, metam contingimus scarificatione carbunculi medii ac conspersione cum pulvere cantharidum aut fomentatione cum lixivio caustico vel aliis corrodentibus, aut simplici cauterio e lapide infernali, lap. caustico chirurgorum, butyro antimonii, aut excisione profunda totius carbunculi medii aut exustione ope ferri candentis etc. Praesertim haec remedia strenuiora, minime negligenda sunt, si tardius auxilium aegrotis ferendum est, aut morbus senes aetate confectos, oute

arida, torpida corripuit, si carbunculus jam initio vitam ferme extinctam prodit, quibus casibus potentiae rodentissimae saepius necessario carent effectu. — Omnes vero hae operationes, jam in usum vocatae, vi et potenter institui debent ac in laesione inde orta, pulveribus incitantibus inspersis vel unguentis irritantibus, usque dum ambitus durus solvatur, suppuratio expediri et servari debet. — Obstacula autem permulta hic medico in rusticis obvia sunt et saepius ergo ad simplicia *emplastra cantharidum* vel epithemata irritantia refugiendum est, quae tamen in *quam plurimis casibus* quoque sufficiunt.

Remediis internis hic raro indigemus, ut plurimum enim solo externorum usu finem attingimus, ad summum iisdem opus erit, ubi febris secundaria accedit, secundum naturam, modo cum nitro et aceto, modo cum camphora et aceto, modo infusis diaphoreticis, herbarum aromaticarum, debellanda.

Carbunculi medium collapsum est, ad gangraenam spectat. Cura.

I. *Affectio universalis vero nondum manifesta.*

1) *Ulteriore progressum veneni prohibeas:*

a. *foco morbi destruendo,*

b. *mutanda qualitate partis affectae.*

2) *Fortiter totam cutem incites.*

Auxilio medici haud prius quam hoc in stadio petito, illius maxime interest, omnia quae usui medicamentorum obstant, debellandi, si enim non studio et labore hic agas, tempus, quo auxilium ferri adhuc liceret, mox praeterlapsum erit.

Carbunculus collapsus gangraenosus mox excindi debet e sano ambitu, tum ferrum candescens applicari aut casu necessario laesio accepta, pulvere pyrio consperso et accenso, exurenda aut acidis concentratissimis, butyro antimonii fortiter corrodenda, quo remediis acribus, irritantibus, causticis ut lapide infernali, caustico, mercurio praecipitato rubro, alumine usto, vitriolo caeruleo, aerugine, cum oleo terebinthinae, tinct. cantharidum, spiritu camphorato etc. alliganda, ut prolicias puris boni secretionem. Quaevis vero partium affectarum, adjacentium compressio caute evitanda est. — Ichoris resorptio ope pannorum linteorum adjuvanda et ulcus quotidie, antequam ligetur, spiritu camphorato, tinctura myrrhae aut decoctis tepidis chinae, millefolii, chamomillae purgandum. — Quodsi hoc modo successerit, vitam loci affecti denuo excitare, crustam gangraenosam protrudere et bonam suppurationem in ulcere proliferare, constanter in hac ulceris tractatione per-

severare debemus. In ambitu ligationis adhuc mox fomentationes Schinuckeri frigidae (vide infra) mox calidae, aromaticae, acres cum aceto, spiritu camphorato, pro ratione necessitatis, adhibendae. Eodem tempore totum systema cutaneum externum aqua gelida ex alto dejecta, balneis calidis, frictionibus et inunctionibus incitatur, sic ut in carbunculi, ob vires labefactatas, eruptione perfecta, in senibus debilibusque subjectis supra docuimus. — Tamen et hinc incitamenta pro aegroti constitutione, morbi indole et vehementia, caute eligenda sunt, quo, maxime duci sinis a localitatis statu; namsi turgor cutis eximie infractus, calor et sensus fere deficientes, remedia fortiora, efficaciora ac si pars adhuc duritie, elasticitate, turgore et calore gauderet, eligenda sunt.

II. *Affectio universalis jam manifesta.*

Assiduo agas in characterem febris exortae, cum respectu in vires, quibus viri debellatio tradita, nec morbi obliviscaris tendentiam nocentem versus partes internas; — illa vero evoluta, ejusque naturam peculiarem evincere studeas. — Localitatem pariter ac supra consideres ac tractes.

Curatio morbi localis.

Memorato modo secretionem aut provocare aut servare studeas, et si nondum pars cu-

ticulae gangraenosa, remota fuerit, eadem ratione agas, qua supra indicavimus, donec scopum adeptus fueris, ut vita redeat localis. (Vide infra.)

Curatio universalis.

Veneno excepto ejusque propagatione per telam cellularem corporis, mox citius, mox tardius flamma incenditur interna, quae brevi organa abdominalia ceu focum eligit, iisque deletis, quoque exstinguitur. — Sunt certe casus, in quibus medico, ut flammam illam elidat atque cohibeat vim ejus destruentem, pariter ac in primo stadio carbunculi sympt. nonnunquam, phlebotomiam instituat, necesse fit. Ubi adsunt deliria furibunda, anxietates magnae terribilesque, respirationis difficultates cum pulsibus duris, contractis, cute arida; ubi affectio localis celerrime transierit in statum morbosum universalem; ubi subjectum infestatum vegetum, humorum plenum, pridem sanitate perfecta gavisum fuerit et sedes morbi localis in vicinitate organorum nobilium sanguine pollentium, inveniat, — cave ne fallaris sensu lassitudinis, nec extremitatum frigore nec pulsuum exiguitate. Certissime methodus nimis irritans inter medicos nostrarum ditionum in causa est, quod tam saepe male succedat morbi nostri curatio. Jam diu Rossiae medici diversis in regionibus, san-

guinis evacuatione, hac in morbi periodo, magno cum fructu utuntur, quacum fomentationes frigidae Schmuckeri in tumores et carbunculos conjunguntur (Herrmann's Beitr. Bd. 2.). Phlebotomia pro ratione necessitatis instituta, hydragyrum muriat. mite proponamus, vero ne salivae cursum, nec alvum citam reddat; inter salia neutra sal. *) ammoniacum, natr. ammoniat. prae ceteris suademus, — attamen in vehiculo mucilaginoso, oleoso, perinde ac omnia medicamina propinanda tali involucro; dein vero si jam organorum abdominis affectorum symptomata magis perspicua redduntur, balnea tepida, quibus serius adjunge, si debilitas vera exserta sit, substantias aromaticas venosas. Hiscum cutis frictiones conjungendae, sicuti supra in carbunculo difficile sese evolvente, monuimus; — dein vero cataplasmata, fomentationes aromaticae cum aceto, sinapismi abdomini imponuntur, — inunctiones cum unguento neapolitano, cum ungu. epispastico Sellü, vel oleo hyosciami, liniment. volatile ac tinct. opii. Ad usum internum iis respondent valeriana, calam. aromat., angelica, serpentaria, camphora, interpositis cascarillae ac chinae corticibus, — initio in

*) In Russia tum primo tum hoc in stadio, cum fructu adhibitum.

forma infusorum leviorum, dein fortiorum decoctorum. Nec negligere narcotica, quae minimis in dosibus certe jam mature valebunt, praepri-
mis vero, ubi vomituritio jam continua sese ex-
serit; — hic locum tenent croci extractum,
hyosciamus, ipecacuanna in parva dosi, nec non
opium, quod Boyer in morbis affinibus sat ma-
gna laude commendat.

Si pulsus subsidunt, exiles, parvi sunt, vitae
vis conspicue jam collabitur, illis medicamini-
bus adjungenda sunt volatilia ac praeter cam-
phoram in largis dosibus, sal c. c., moschus,
aetheres, vina generosa ac oleum terebinthinae.
Morbum nunc semper considera quasi ex inflam-
matione peculiari (vide supra §. 15) organorum
abdominis celeriterque in gangraenam ac paraly-
sin abeunte, exortum. — Ceteroquin jam ab
initio derivationem ad partes externas, sinapis-
mis largis impositis, radice armoraciae diversis
in locis applicata, vesicatoriis admotis, insti-
tue. Alvum liberam serva clysmatibus applica-
tis, — cave vero ne citam reddas. — Remediis
vero propositis, anxietate et respirationis diffi-
cultate incremente, diuretica adijunge atque
inunctiones cum oleo olivarum et terebinthi-
nae in perinaeo ac regione renum fac.

Electio remediorum omnium ac tempus ap-

plicationis iudicio ingenioque medici omittendum erit, pro casu certo individuali.

Nonne fortasse *Ledum palustre*, qualitates narcoticas cum acribus et aethereis conjungens, cujus ex propinatione optimum videbantur successum in dysenteria Aegyptiaca (L. Frank de dysenteria Aegyptiaca), quoque hic locum teneat? In regionibus, ubi malum nostrum maxime divulgatum, illud invenitur magna in abundantia; nonne res hae secundariae convenientes, magis ad ejus usum invitent?!

Ad potum hoc in periodo morbi haud negligenda acida *), quae omnibus in regionibus alienigenis, nec non in nostris experientia duce, insignem edidit utilitatem; quorum vero pro usu individuali inter leviora vegetabilia ac fortiora mineralia eligendum est.

In subjectis sensibilibus, in feminis et infantibus, nec non in hominibus senibus, torpidis, ubi transitus mali localis in universalem, lento passu factus erat, statim methodo fortiori sti-

*) Magno cum successu in gastritide ac enteritide duce experientiarum praesertim Franco-Gallorum propinabatur (vide Dict. d. sc. med. art. Gastritis).

mulanti agere poteris atque a sanguinis missionibus abstinere plerumque; initio levibus stimulantibus adijunge narcotica, sempiterno cum respectu morbi naturae cujusque temporis. *Diaeta*, quam fieri potest, aequa omnino rationi therapeuticae esse oportet, tum quoad alimentationem aegroti, tum quoad regimen, — nisi omnia destruere velis, quae illa protulit.

Quomodo tractandus esset carb. symptomaticus, qui erumpere recusat, et tandem provenit, si jam organa abdominalia affecta sese indicant atque crisis naturae duplicem tendentiam, tum extus, tum intus iniiit, — ex eadem hac directione duplicata elucebit; attamen curatio semper maximis difficultatibus premitur.

Morbus characterem putridum induit. Hic adjungitur indicationibus prioribus haec a medico respicienda: *obviam ire debet gangraenae latescenti atque putredinem humorum exortam cohibere. Aestas, tempus aestuosum, homines cacochymici, scorbutici, aberrationi huic favere possunt. Hic noli parcere acidis vegetabilibus ac mineralibus, nec chinae ac comphorae, principibus inter antiseptica remediis, audacter et pertinaciter iis uti suademus, tum interne, cum externe. — Ut limitetur gangraena cutis, plerum-*

que sese extendens, fortasse primarium erit cauterium actuale et potentiale inter omnia destruentia, supra notata. Crustam gangraenosam, si sese solvit, non lacerare licet atque distendere, sed naturae relinquendum erit, omnino perficere operationem; jam fere solutam vel nimis putridam ac ichoris magnam copiam producentem, caute remove instrumentorum ope. Ceteroquin cura eadem fere erit pro stadiis diversis, sicuti antea notavimus.

Generatim in curando non solum in phaenomena universalialia respiciendum est, verum quoque in aetatem, sexum, constitutionem aegroti ac in indolem et stadium mali localis ejusque speciem, in aëris denique conditionem et anni tempus etc.

Curatio morbi decrescientis. Ubi artis praesidia praeveniebant desidenti et nigrescenti carbunculo, ergo adhuc sat mature remediis aptis malum debellabant, en! tota res quam citissime soluta! Rebus aptis applicatis vesicula exorta vel sponte dehiscit et ichorem suum effundit vel efformata perscinditur et evacuatur, vel limitatione particulae cellularis affectae, nucleus corruptus excedit, — quodcumque accidat, criticum naturae conamen in tela cellulari, medici tractatione juvabatur, — ad quae, ut quam maxima gaudeas securitate, laesionem ortam, un-

guentis irritantibus ex oleo terebinthinae etc. per aliquod tempus, cui ipsa jam indulget, suppurantem servare potes, — dein vero claudere secundum regulas chirurgiae.

Artis auxilio, si natura adjuvante, contigisset, in ulteriori morbi periodo symptomata mitigari etc. denique malum cohiberi, pergas cum remediis internis ac externis per nonnullam temporis moram, descendas sensim pro ratione viarium sese erigentium ac caute iisdem quoad qualitates stimulantibus, abeas ad subaromatica et tonica, quae empiria hoc in stadio convalescentiae laudat. Quodsi iudicatus esset morbus crisis manifestis, quod tamen rarissime occurrit, — eas caute ac circumspicte fulcias. — Externa medela modo iam notato continuetur, suppurationem servando ac bonam carnationem moliendo.

Curatio symptomatum urgentium. Etsi haec magis minusve ab indole morbi dependant et modo rationali iisdem remediis removenda sint, quae illam vincunt, attamen quandoque tanti sunt momenti, ut adhuc curationi symptomatice subjiciantur, necesse sit, utque avertas majus periculum ex complicationibus possibilibus exoriens; — interea symptomatice haec medela congrua, quantum potest, esse debet cum cura universali.

Tumor magnus, inflationes telae cellulosae et glandularum, quae in regione colli sitae, periculo mortis suffocativae et apoplecticae minantur vitae; si maxime est elasticus, durus, tensus, uti potes fomentationibus frigidis Schmu-ckeri, adjuncto aceto, quas in Rossia, cum utilitate adhiberi, affert Herrmann (l. c. 3d. 2.) — Nonne fortasse frigus extinguere posset virus? Serius vero tumores colli inunguntur cum ung. neapolitano, cui addere potes ol. terebinthinae, liniment. volatile, spir. camphoratum etc. Ubi vero jam languent vires, torpor corporis est insignis et tumores collapsi sunt, fomentat. calidae, aromaticae, spirituosae, spir. sal. ammoniac. caust., tinct. cantharidum etc. resolutionem juvabunt. Nonne exspectare possimus quidquam a diureticis, quae in hydropibus valent, ubi etiam massa quandoque crassa exsudata est? Duplicem hic haberent usum, quia quoque lympham exsudatam in cavitatibus diversis corporis v. c. in thorace, abdomine, unde diuretica jam mature aliis remediis interponenda suadeamus, — evacuant. — Incisiones minime prodessent, quinimo in periodo ulteriori, ubi vires collapsae, nocerent; pariter ac suppuratio provocata in glandularum tela cellulari, inflata. Semper vero curatio haec palliativa est, saepissime anceps. Hisce glandularum tumori-

bus non dissolutis, omnia quae adhiberes palliative ad cohibendas *capitis congestiones*, incerta essent; fomentationes fortasse frigidae capiti impositae juvabunt. — *Vomitus*. Saepe phaenomenon hoc perniciosum, in ulteriori periodo, transitui in gangraenam favens, celerrime removendum est. Et hic diversa erit remedium electio pro necessitatis ratione; mox fomentationes frigidae, potio Riveri, elix. vitrioli Mynsichti, mox inunctiones cum oleo hyosciami, ungu. antispastico Sellii, linimento volatile et parte ungu. neapolitani, mox cataplasmata tepida et fomentationes aromaticae vinosae, cucurbitulae scarificatae aut siccae impositae, sinapismi et vesicatoria, interne aether cum castorei et valerianae tinctura, laudano liquido Sydenhami; et clysmata ex oleosis tepida et balnea universalia tepida, quae circumstantiis diversis accomodata, tantum utilitatem afferre possunt, — locum habebunt.

Remedii adhuc mentionem hic faciamus, opus est, quod semel tempore morbi maxime divulgati, excellentissimum ostendit usum; est oleum olivarum commune, externe et interne adhibitum, sed in primo stadio carbunculorum. Si respicimus in utilitatem insignem, quam remedium hoc nuperrima experientia duce, pesti,

morbo ubique acerbo attulit, non possumus quin propius animum intendamus ei; medicamen quaecunque novum in morbo adhuc minus examinato ac pernicioso, suasum, velut additamentum conspici ac accipi debet jucundissimum. Ceteroquin oleosa vehicula commendavimus medicamentis propinandis omnibus, quae jam opinione acceptâ in inflammatione organorum abdominalium, indicata sunt, atque expectandum est, oleum et in ultima periodo morbi valere. Attamen externe inungitare debes non solum malum locale, sed etiam totam cutem reliquam, pluries de die usque ad levamen omnium symptomatum urgentium, nec internum usum negligere. — Nonne forte aqua gelida ex alto dejecta (Sturzbad), cujus effectum profundum, maxima ornant laude, novissima tempora (Vermischte Abhandlungen aus dem Gebiete der Heilkunde, von einer Gesellschaft praktischer Aerzte zu St. Petersburg. 1. Samml. St. Petersburg. 1821.), examinis saltem digna esset et in nostri morbi periodo ultima? In febris malignis jam fructum magnum probavit atque in casu ancipite utilitatem prodit adeo insignem, divinum hoc remedium, quali nullum aliud gaudere potest.

Sufficient haec, uti opinamur, ut viam curandi methodi *aperiamus* ipsiusque curationis

praesidia *indicemus*; uberior vero et specialis curationis explanatio, hujusce libelli haud est.

* * *

Sic nunc ad calcem pervenimus dissertationis, in qua praeter experientias ac observationes ipsas, adhuc permultis alienis medicorum ac concionatorum pagorum, non minus illis rusticorum ipsorum usi sumus, quas, quantum vires sufficiebant, enucleare, evellere atque explicare, et eo rem ipsam, adhuc perobscuram, aliquantulum illustrare, studuimus; — quatenus vero attigerimus finem hunc et quam veram rectamque rem ipsam exceperimus et exposuerimus omnibuscum modificationibus ac subtilitatibus et quantum promoverimus illam ad utilitatem publicam, — *il dies diem docebit! sat!*

ADDITAMENTUM.

Historia morbi hominis carbunculo Esthono tractati eoque mortui in nosocomia Dorpatensi, cum cadaveris sectione, (anni 1818).

P. rusticus, constitutionis fortis vigetaeque, annos triginta natus, 2 die Febr. mens. inter laborandum, matutino tempore repentine a capitis dolore vehementi, temulentia corripiebatur, quae frigus subsequeretur validum, brevi persistens, caloreque mutans; eodem tempore in gena dextra vesicula prorupta erat, omnino neglecta. Febris paroxysmus cessaverat, servato omnino statu universali, appetitus bonus, vires integrae, ita ut aegrotans vespertino tempore domum revertere poterat. 4. die ad labores in aulam rediebat; vesicula nunc major atque tumore cincta; externe vesicatorium admotum erat, interne nil adhibitum. 6. die in nosocomium excipiebatur. Tumor maxime elevatus usque infra aurem dextram extensus, mollisque attactu; in medio hujus sidebat vesicula

cula partim gangraenosa, nigra, margine fusco-rubro circumdata, sine dolore et sicuti totus tumor insensibilis, attamen sub morbi initio, pruritus levis circa vesiculam, sensus est. Pulsus exiles extremitatesque frigidae erant; sudor profusus genas frigidas atque frontem obtegebat. — Conscientia servata, aegrotus nec dolores, nec obnubilationem mentis conqueri potuit; febris paroxysmus novus ab initio morbi inde, haud redierat; lassitudinem membrorum tantummodo sentitur. — Vesicula statim graviter scarificata est et pulvere cantharidum, deinde lapide caustico conspergebatur, quo sanguinis parva copia effundebatur; interne emeticum porrigebatur, quod mox vomitum ciebat. Sudor frigidus capitis et algor extremitatum perdurabant; appetitus omnino deficiebat. Acetum vini ℥viii et camphorae cum gummi arab. subactae ℥ij, omni hora ad duo cochlearia assumebat. — *Tempore pomeridiano tumor maxime erectus, vacillans (attamen non sicuti ac in fluctuatione); pulsus exiles, irregulares, mox fortiores, mox debiliores; magna proclivitas ad vomendum, vomitus, quo semper medicamenta, ad summum levamen rejiciebantur; dolorem continuum in regione querebatur scrobiculi cordis; tumor sensus expers; caput obtusum, vertiginosum. — Hora sexta malum locale denuo*

scarificatum, lapidis caustici pulvere conspergebatur. *H. septima et dimidia* — pulsus exiles, respiratio aucta; genae, frontes atque extremitates algidae. *H. nona et dimidia* magna cum vomituritione assidua, sitis valida superveniebat, caput magis obtusum, vires dejectae atque aegrotus minus propensus respondendi; pulsus sensim evanescentes, respiratio auctior, sudor profusus capitis, extremitates non calefaciendae. Ob vomituritionem succrescentem oleum olivarum probinabatur, quod statim vero respuebat aeger. Laud. liquid. Syd. gtt. vj cum Hoffmanni liquoris gtt. viij, saccharo instillatis assumebat, quo vomituritio cessabat. — *Quarta hora antelucana, 7. d. Febr. m.* aeger anxietates et respirationis difficultates querebatur, caput obtusius, extremitates vero minus frigidae atque sudoris copia minor in genis et fronte; pulsum ac cordis ictus vix explorabilis; tumor magis adhuc pone aurem dextram, et referebat praeprimis aeger, obstaculum esse in gula, quod respirationem impediret. — *Septima hora matutina* obdormiscebat, extremitates, genae, frons calidiores, sine sudore, — *Hora octava*; sensus pressionis dolentis, respirationem impediens, in regione scrobiculi cordis; — tumor progressus, mollis supra claviculam dextram atque muscolum pectoralem majorem, duriusculus circa laryngem,

abinde rubicundus, tori instar, extendebatur trans glandulam thyreoideam, et fistulam spiritalem ad sterni medium usque. Respirationis difficultates nec non anxietates succrescebant usque ad horam decimam, qua conscientia servata, alvum ejicere petiit et dum adjuvabant adstantes, a convulsionibus corripiebatur, nil amplius loquebatur; exiit a se, corpore spasmodice retroverso atque spirationibus magnis in intervallis ductis. Pupilla maxime dilatata atque colli muscoli convulsive tensi.

Cadaveris sectio.

Adspectu externo cadaveris denudati altera die, in regione inguinali dextra, tumor duos pollices latus, sex pollices longus sese prodidit, spuma cruenta ante os; tumores maxime collapsi et ferme molles; cadaver non olens. — Detracta cute in loco tumoris colli, tela cellularis massa repleta erat gelatinosa, spissa; in regione claviculae dextrae sanguinis parva copia effusa, cui exsudationi, alia persimilis gelatinosa materies, thoracis parietem internum respondentem tenebat. — Pulmones nec colore nec substantia alienati, attamen superficie posteriori parieti respondentem thoracis paullulum adnixa. Cavitas thoracis et pericardium multa aqua repleta, quae quoque abdomine inaperto presso, per diaphragmatis foramina in thoracem efflue-

bat; et aqua inveniebatur in ramificationibus tenuioribus bronchiorum ad tracheam usque, quae ubi ramos palmarios ablegat, rubedinem levem ostendebat. Cor vigetum, immutatum, multo cum sanguine nigro non coagulato repletum; arcus aortae, arteria innominata et praecipuis carotis pariete interno colore cinnabari tincta, qui perspicue in imo finitus, tantum tunicam internam obsidebat, nulla ablutione removeri potuit. Rubedo haec omnino aequabilis sese ostendit, sine vasculo singulari, praecipue sanguine repleto. Macerando per duas horas cum aqua tepida color disparuit atque pars arteriae macerata albescit. — Pars vaginae nervi vagi rubedinem quoque demonstrabat, quae vero non extendebatur in fasciculos minores. — Explorationem ampliorem pro dolor! institui, parentes mortui haud permittebant.

Adnotatio. Haud magni rubedinem articularum inventam existimemus, ne minimum vero contendamus, signum praebere inflammationis praegressae; — nam, si una parte defuissent inter vitam affectam signa characteristicam articularum inflammatarum, a Frank (Epitome de curandis hom. morbis Lib. II. §. 206.) et Spangenberg (Horn's Archiv. Bd. 5. 2. Hft. S. 269. 1804) stabilita, nempe: pulsatio vehementissima arteria-

rum capitis, praesertim carotidum, arteriarum temporalium atque raninae, (sensus prodit molestum — Spangenberg), vibrationes graves, molestae cordis et *in arcu et trunco aortae inflammato*, sensus ut ferrum candens aortae longitudini insertum esset; — inquietudo magna, agilitas, respiratione haud difficili; pulsus regulares, perduri, pleni ac modice accelerati; appetitus, digestio, excretiones haud alienatae; — (neē deest unquam, aorta inflammata tussis vehemens, validissima — Kreysig); — in arteriarum singularum inflammationibus, pulsatio magna, vehemens, arteriarum tumores, qui sensum lancorum durorum, tactui produnt (Hodgson); dolores angentes in loco affecto (Kreysig); — *altera parte* nullum est phaenomenon rarum, repletionem inveniri vasorum capillarum in cadaveribus, praesertim in talibus organis, quae inter morbum in magno versata erant certamine, quinimo in omnibus corporis arteriis post febres continuas vehementesque (Hodgson. Kreysig. Frank), — quod quoque in regione tumoris illius locum habuerat, unde et nervi vagi tunica paucorubra inveniebatur. Ceteroquin rubedinem arte excitare potes in arteriis, aquae imponendo; — insuper Kreysig (Bd. 2. C. 124.) vir, hujus rei summus auctorans, monet: rubedinem esse signum minus constans inflammationis arteriarum, —

saepius vero invenies, inflammatio si antecessisset, exsudationes, quae pro experimentis, in animalibus institutis a Jone et Hodgson, atque pro explorationibus horum viroꝝ in cadaveribus in ambabus partibus arteriarum atque inter earum lamellas videntur, pseudo-membranas, *semper vero spissitudinem et tumorem membranarum*, exinde volumen coarctatum totius trunci affecti arteriae, vel partium illius singularum (Spaengenberg. Portal 4. Anatomie medicale pag. 77 u. 127.), — quodque vero hic deficit.

Quum vero casus hic nec inter morbum nec post mortem cadavere secto, signa praebuerit aortae vel aliarum arteriarum inflammatarum, characteristicae, inter quae palmaria, — si modo inflammationem statueres, viris fide dignissimis testibus, semper adsint, necesse est, — non possumus, quin contendamus inflammationem arteriarum omnino defuisse; — causa vero somatica mortis certe alibi abscondiderat, quam, ut invenisses, sectione amplius instituta, nemo sane negabit.
